

PALAESTRA

LATINA



ANN. XLI (FASC. III). — N. 215
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXXI

PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Premium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^o Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francs; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XLI (FASC. III). — N. 215

M. SEPTEMBRI — A. MCMLXXI

F. FINZGAR - F. KOLEDNIK, <i>Desponsata</i>	97
R. PAONE, <i>Carmina</i>	105
J. M. MIR, C. M. F., <i>Cicerone specimina, III</i>	111
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i>	125
M. MOLINA, <i>Bibliographia</i>	129

P A L A E S T R A L A T I N A

L I T T E R A R U M L A T I N A R U M C O M M E N T A R I I

A S O C I I S C L A R E T I A N I S E D I T I

ANN. XLI (FASC. III). — N. 215

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXXI

D E S P O N S A T A

Franciscus Salesius Finzgar centum abhinc annos —die 9 m. februarii anno 1871— Dosloviciae in Slovenia natus est. Studia gymnasialia Labaci (Lubiana) perfecit et anno 1891 in Seminarium ingressus est. Sacro autem sacerdotis ordine a. 1894 consecratus est ac postea nonnullas rexit paroecias.

Anno 1922 moderator renuntiatus est illius commentarii qui Mladika —hoc est «gemma»— appellatur et familiis christianis destinatur, atque Societatis Sancti Hermagorae quae maxima est apud Slovensos domus editrix catholica.

Ab anno 1894 assiduam in litteris impendit operam in scribendis narrationibus commenticiis, carminibus, dramatis, fabulis romanensibus, quae apud Slovensos vulgata ibidem magnopere leguntur. Superioribus autem quinquaginta annis in litteris slovenicis princeps atque auctoritas maxima exstitit.

Quamquam in scriptoribus classicis slovenis et exteris —ut Tolstoij, Shakespeare, Coloma, Sienkiewicz, Dickens— conformatus est, suum tamen habet dicendi et narrandi genus: in quo rerum veritas ipsaque vita —seu ut vulgo hodie realismus— maxime praestat. Nam et argumenta et personae e vitae veritate sumuntur, e rebus vitae praesentibus atque in primis e paroecia: idque in omnibus magnopere studet ut legentium animos instituat atque ducat.

Sereno animo Labaci pie decessit; ut autem et nos centeriarum ab ejus decessu celebrationem agamus, hanc fictam narrationem legentibus exhibemus, quam latine reddidit cl. v. Ferdinandus Kolednik, qui et alia ejusdem Finzgar scripta in exteris linguas convertit.

(J. M.* MIR, C. M. F.)

«Laudetur Jesus Christus!»

Cum forte puer me salutat his verbis, leniter subrideo, quamquam fortuito moerore opprimor. At quodam die, cum longius iter pedibus instituisse solus per montana et, appetente jam nocte, tenebrae viam offunderent, en subito homo immanis ex umbra surgens labris tectis horrida barba, hanc eandem mihi salutem dixit: tunc beatum felicemque me credidi.

Cum autem vir iste Hermannus, de quo scripturus sum, simili modo salutavit, attonitus et simul terrore levatus obmutui, non valui, non potui respondere.

An forsan omnes sumus vates dato casu?...

— «Pater suavissime, nonne licebit mihi iter facere Graecium (*Graz*)?»

— «Quae tibi incidit repentina cogitatio? Graecium? Cur demum?»

— «Vide sis, pater: Teresina Plantar abiit Graecium et ibi coemit vestes atque minus solvit pretium quam quod solet postulari apud nos et postulatur Labaci.»

— «At illa virilem habet animum! Multo labore, non sine periculo, modicam pecuniam mihi paravi: ideo jam putas et esse divitem et vis emere Graecii. Spernis Labacum tamquam parvum oppidum. Potius eas usque Lutetiam Parisiorum!»

Minca filia oculos tristes in terram deflexit dum digitis nodum praecinctori volvit...

Pater tacens ephemerides legere pergit, sed interdum super vitra ocularia filiolam aspicit.

— «Eheu, sine eam!», mater adjuvat filiolam. Demum, cum filia junior Annina coquinam reliquisset, patris animus mollior factus est.

Paucis diebus post Minca Graecium profecta est.

Biduum insumpsit adulescentula in coemendis indumentis et ornamenti. Vespere diei sequentis properat ad stationem viae ferreae jam integra hora ante tempus statutum. Bajulus eam sequitur affrenis riscum, sarcinam ponderosam, quam filia collocat ad pedes in atrio, eamque caute custodit.

Exspectat. Duodeviginti fere annorum erat adulescentula, novis indumentis vestita tota; vanae gloriae eam opprimit amor. Diu prae-tolari oportebat, tamen nullo modo fatigatur, quod exspectandum sit, sed acri desiderio flagrat ostendendi amicis et familiaribus novos thesauros suos. Jam fruebatur intima invidia amicarum, quam excitatet nova vestis.

— «Pro dolor! Torvo oculo spectabit Teresina!

Et Slavica illa! Lacrimas fundet invidia tacta...»

Barbara vero, Barbara, garrula illa calumniatrix, quae cuncta sua dissipavit, quae cum militibus tam familiariter agebat et prodibat quasi esset nobilis generis: haec ipsa furore crepabit!...»

Gaudio mota Minca subridebat.

Eodem momento vir quidam ornatus elegansque praeterit, videt eam subridentem et salutat.

Minca obstupescit. Utinam saltem Annina soror natu minor nunc adesset! Ambae faciem abscondissent in manibus, cachinnum edidissent. Quia tamen sola erat, non decebat talis effusio, praesertim in urbe aliena.

— «Forsan errat hic homo! Deus scit, quam me esse putat.»

Sed iterum cogitationes adulescentulae domum avolabant, vagabantur in triviis, in conventibus puellarum.

— «Oh! Dana, socia in tabulario, exspecta! Jam non ridebis de trita veste mea. Melior est mihi nunc, et rite empta. Tua vero, sci-mus unde proveniat.»

Nobilis vir iterum proprius praeterit. Non quidem denuo salutat, tamen tam acriter virginem intuetur ut Minca erubescat.

— «Oh, qualis homo iste!» cogitat anxie Minca, cum vir abscessit. Statim effingit in mente narratiunculam, qua apud amicas domi gloriabitur. Quin necesse sit ordinat collare suum, intuetur pallium novum, mutat statum pedum ut aspiciat pulchellos calceos suos.

Quo tempore oritur strepitus accrescens sensim in statione. Viatores effluunt ex aulis spectationis, officiales currunt hinc inde. Procul auditur sonitus propinquantis agminis curruum, duo lumina valde splendentia, in tenebris videntur accurrere in orbita ferrea.

Tunc cum adulescentula manum extendit ad capiendum riscum, attingit manum alienam, quae eodem momento protenditur ad riscum. Minca perterrita in eo est ut clamet.

— «Cara domina, indulgeas ut sarcinam tuam portem in currum», inquit ille vir nobilis. Jam inclinatus ad riscum, eum tangere non audet sine licentia, sed subridens intuetur vultum puellae.

— «Gratias quam maximas ago, facile ipsa portabo», inquit Minca et studet arripere manubrium.

— «Concede mihi hoc gaudium», inquit ignotus et sublevat sarcinam. Minca tenet manum super riscum quasi custodiens sibi suum et ita ambo petunt tramen. Ignotus vertit se ad currum secundi ordinis.

— «Ego utor curru tertii ordinis», explicat Minca et arripere conatur riscum.

— «Nequaquam! Maxima enim ibi turba est!»

— «In secundo ordine pretium majus exquiritur. Gratias denuo!»

Prompto animo capit riscum. At ignotus eam celeritate superat, riscum levat per gradus in currum secundi ordinis.

Mincae cordi est sarcina et curat de solis vestibus, tibialibus et

omni ornatu varii coloris in ea concluso. Ignatus extendit manum, ut puellam adjuvet ut commodius ascendet, quae tamen jam adstat inopinato juxta eum et requirit risci manubrium.

Ignatus subridens: «Cara domina, timesne sarcinae tuae? benigna est».

— «Nequaquam, sed non habeo tesseram secundi ordinis.»

— «Nihil interest; progre diamur!»

Sublevat riscum et aufert, ut spatium det viatoribus qui irruunt post eos. Diligenter duo sedilia elit, redigit riscum in receptaculum supra sedes et benevole Mincae offert sedem ad fenestram.

— «Da mihi, inquit ignatus, tesseram tuam ut pretium suppleam».

Tacita expedit Minca e marsupio traditque schedulam homini. Ignatus disparet. Ipsa vero surgit, quaerit oculis riscum, paulisper movet eum quasi ordinans in loco. Tunc demum intuetur alios viaatores, qui in sedilibus circumquaque somno gravati oscitant.

— «Quid hominis hic!», secum reputat Minca. «Pulcher est. Deus scit, cur me ita curat?» Detrahit pileolum quem tenet ante oculos renovato gaudio; parvum speculum condit in manu et furtim ordinat capillos. «Quid tantum mihi ruboris incutit?» Pudebat eam faciei rubentis. Diutius cogitare nequit, nam ignatus revertitur tesseramque restituit.

— «Gratias tibi; quantum pecuniae erogasti?»

— «Praetermittamus hoc. Cum veniemus Zidani-most, de hac re agemus. Ego enim proficiscor Zagabriam, ideoque in illa statione separari oportebit...»

Agmen ferreum coepit moveri; ante fenestras lumina regionis praetervolant; socii itineris oculos claudunt, quieti se dedunt, tacent.

Ignatus vero non obmutuit. Initio solus leniter loquitur; omnia scire videtur: usque ad plantam pedis nomina omnia. Berolinum, Budapestinum, Vindobonam novit quasi ibi natus sit. Tot historiolas narrat, ut Mincae totam bibliothecam Labacensem vir ille superare videatur; nugas inserere studet, ut puella saepius faciem in manu abscondere cogatur.

Ita factum est, ut ab urbe Graecio usque ad Claudiam Caelejam ignatus totius vitae curriculum Mincae memoriae infigeret; nomen ejus ac sororis natu minoris, patris divitias, quas tempore belli sibi paraverit, familiae socios, et res intimas noverit.

Zidani-most raptim adfuit. Ignatus perquam tristis valedicit virginis. Interrogavit petiitque utrum chartas postales mittere liceret necne, an hospitio reciperetur, si eam convenire auderet. Minca ita erat intenta ejus blanditiis, ut sarcinae oblivisceretur. Descendit e curru cum eo, moratur in platea, quin recordaretur se pretium solitae tesserae secundi ordinis supplere debere. Extremo tempore in

currum prosiliit, postquam ei ignotus schedulam in manum immisit, in qua nomen suum locumque domicilii scripserat.

Minca cum iterum sedet loco suo, sine homine illo, desolatam et tam solam se sentit ut numquam in vita peracta. Rotae ferreae rhythmice pulsant orbitam; socii itineris dormitant. Minca vero meditatur ea quae evenerant, facies ejus igne rubet.

— «Quid hominis!», saepius iterat cum reminiscitur ejus narrationum nugarumque. Ita ejus mens in re defixa est, ut non attendat ad nomina stationum itineris, quae adveniunt. Vox clara officialis viae ferreae nuntiantis nomen patriae eam revocat ad rem veritatemque. Diligenter urgit e sedili, induit pallium celeriter, paene oblita sarcinae in curru.

Aspectus patris, qui eam praestolatur in statione viae ferreae, jejunam eam efficit. Laetatur quod pater ad ruborem vultus non attendit neque splendorem oculorum percipit, de quibus ignotus ille benevole et praevidentes eam monuerat.

Domi aperit riscum et expandit cunctas merces emptas, quasi totam tabernam, in mensa; simul explicat minutiarum studiosa totum iter. Pudet eam tamen fateri coram parentibus occursum cum ignoto. Eo magis desiderat soliloquium cum sorore in cubiculo. Ibi ingressa nequit jam retinere cordis impetum. Complexa eam deosculari coepit, neque finem facit.

Usque ad primam lucem confabulantur sorores imminuto splendore lampadis. Cum demum se Minca sternit ad somnum, ingemiscit: «Ah, tu nescis! Homo ille — Hermannus ille...»

Tandem iterum perlegit schedulam, in qua nomen ejus et patria scripta erant. Tunc lucernam extinxit.

Postero die Minca anhelans properat domum ex officio tabularii. Penitus obliterata vestitam se esse nova veste, novo pallio, pulchello galero et se habere novum sacculum, ne minime quidem attendit ad aspectus hominum in via. Graecii tamen sibi persuasum erat, omnes oppidanos eam persecuturos esse aspectibus. Domum redux nictu oculorum interrogat sororem Anninam. Quae annuit dum ejus brachium vellicat. Minca cucurrit e coquina in cubiculum. Ibi reperit duas chartas collustratas in mensula nocturna absconditas.

Legit: «Cur non potui comitari te in saecula... Morior desiderio tui...» Mincae digitii tremunt.

Inter prandium tam defixa est filia cogitationibus alienis, ut saepius pater aegre eam interroget, sitne iterum atque iterum Graecii?...

Ex eo die adventant chartae collustratae, duae vel tres, immo complures simul, cottidie, donec demum incidit epistula quae nuntiat, quod Minca jam diu suspicata erat, immo desiderabat:

— «Hermannus nos invisere cupit».

Eo facto expludit arcanum.

Prima secreti conscientia fuerat Annina soror. Ambae filiae persuau-

dent matri: oportere urbane et comiter excipere hospitem tam insignem, civilem, politum, mirum... hominem illum!

Pater diu iratus tacebat, observabat, interdum contradicebat. Sed quid praevalet vir in tali pugna? Tres feminae coeperunt omni cura mundare domum, terere, fricare cubicula velut in Paschate. Pater iracundus probra conjicit in eas, denique fugit in tabernam. Domi purgatur, mundatur, ne minima aranea remaneat: inventam pedibus conterunt. Cum vero subit hora adventus hospitis, Minca affert flores exquisitos magni pretii, quibus mensam exornet.

Pater redux e taberna sedet in sella bracciata veste rustica attrita indutus, et fumariolum refercire studet herba nicotiana agresti. Mater accurrit furore plena: «Esne mente alienatus? Noli implere domum foetore hujus herbae vilis. Patienter sustine jejunium fumi tabaci. Quomodo autem vestitus es? Ocius meliores sumas vestes! An ut mendicus sedebis coram domino hospite? Si eum jam recipimus hospitio, perspiciat nos non esse rusticos. Ecce, fac ocius!»

Aperit scrinium et expandit in sellis indumenta viri festiva.

— «Fiat modo sicut tibi placet. Hoc vero nuntio vobis: Semel, non iterum, exercetur haec comoedia apud nos. Quid opus est ea? Qui non me vult talem qualis sum jam quinquagesimum annum, ille abeat cum Dei gratia.»

Ira incensus projicit calceos detritos veteres sub lectum, quos tamen mulier sedulo assumit et occultat.

Accuratissime, ut reges solent, hora indicta venit hospes, non tamen manibus vacuis. Mincae affert fesciculum florum, Anninae sorori sacchari crustula, Matri coronam precatoriam ex argento factam, Patri familias demum fumariolum Turcicum ad hauriendum fumum Nicotianae. Admirantur eum omnes quasi esset signum divinitus missum. Ad prandium sumendum cum familia eum cogunt. Qua occasione narrat Patri mira sua negotia, exspectare se divitem hereditatem post obitum parentum; Matri exponit amaram tristitiam in qua versatur, quia post bellum finitum nequeat reperiire virginem intactam, quam in matrimonium ducat. Ideo rogat ut ignoscant parentes, suam audaciam, qua in familiam ignotus, ut ita dicam, introierit...

Finem facit sermoni, at levat calicem vini et ardentibus oculis aspicit Mincam.

Post prandium modeste vir rogat parentes ut sinant filias eum comitari.

Quibus egressis pater et mulier pergunt sedere ad mensam. Mater jam tertio bibit liquorem calefacientem cafei, pater vero iterum fumariolum turcicum cum herba tabaci implet.

- «Eh, pater, quid dicis?»
- «Venit e terra nimis longinqua.»
- «Sed liberalis est et dives.»
- «Non numerasti pecunias ejus.»

- «Ineptus es tu.»
- «Nonne et tibi videtur nimis mellitus, dulcedine unctus? Vir ne sit dulcoratus!»
- «Patet animus tuus, quia ipse acer es et rusticus. Hodie opulenti sumus et aliter judicamus. Inepti fuimus non videntes, quam pulchra sit Minca filia nostra. Certe facile erravimus, cum induebatur egenis panniculis. At nunc aspice eam! Sicuti comitissa, comite est digna!»
- «Cessa jam! Haec est jactantia verborum. Putasne me clausis oculis projectorum millenas drachmas argenti primo qui petierit Mincam nostram in matrimonium? Aspice tantum!»
- «Persuasi mihi te libentissime daturam illam huic Bogatao, ut pereat frigore in parvulo mercatorio suo, eodem modo quo ego apud te, et ut rigeant manus ejus frigore acerbissimo. Sed ita non fiet Mincae!»
- Mater surgens coepit auferre mensam; pater autem sugit fumum tabaci tacitus.
- «Videbis viro propositum esse petere Mincam nostram; observavi optime splendorem oculorum ejus.»
- «Petat responsum: 'verbum non est equus'.»
- Ne loquaris ut rusticus», inquit mulier, claudit portam cum strepitu et abit in coquinam ad lavanda arma mensalia.

Adveniunt iterum chartae postales, adveniunt et epistulae, advenit demum Hermannus, et re ipsa evenit quod mater praedixit.

In domo crepitant machinae ad indumenta suenda; patris marsupium vacuum fit. Amicae Mincae manus constringunt et verbis gratulantur, corda autem invidia torquentur.

Ita factum est ut Hermannus adduceret teneram sponsam ad tabularium parochiale. Coram me expandit omnia documenta legibus indicta, quorum veritatem ultro firmat sollemni jure jurando.

Quia vero ego, more meo, verbis non omnino nitor, sponsam leniter interrogavi, an ipsa confideret firmiter dictis sponsi. Quae animo satis commota sermonem meum intercepit his verbis: «Quid dubitas, Reverende Domine? Talem virum tota non possidet urbs Labacum.»

«Benigne, benigne est», respondi sedando commotionem, «secundum leges omnia sunt rita facta; gratulor, et Deus det felicem exitum!»

Benedictionem nuptiarum per hebdomadam transferri necesse erat, quod sponsus gravis momenti negotia absolvere cogeretur. Nihilominus sollemniter celebrata est. Universa civitas accurrit ad vindendam insignem sponsam, quae apparebat velut flos tempore roris carptus.

Quinto die post nuptias nuntiatur mihi mulier quaedam omnino ignota, quae exspectat me in officio parochiali. Cujus facies erat dolore quidem oppressa, quamvis juvenis satis et certe ultimo tempore pulchra. Vestimenta quoque testabantur nitidum morem vivendi, sed eheu! nunc attrita videbantur.

— «Nonne his diebus Hermannus quidam celebravit nuptias apud te, Reverende Domine?»

— «Ita, domina, quintus dies est hodie.»

Mulier porrigit mihi testimonium matrimoniale et dicit:

— «Ego sum vera ejus uxor, scrutare testimonium.»

Attonitus eram.

— «Hebdomada superiore me verberabat, me torquebat, me percutiebat, ut ultimam pecuniam patrimonii mei auferret. Postea profectus est... ad nuptias! Callidus, ad fraudem acutus! Infelix puella! Sed nunc vado ad patrem miserrimae filiae, ut eam recuperet.»

Admonitus pater infelix furore exarsit et sine mora properat in stationem viae ferreae, ut persequatur fugaces.

Abstulit Hermanno filiam Mincam; hujus autem felicitatem nullo modo conservare potuit...

FRANCISCUS SALESIUS FINZGAR

C A R M I N A

IN P. OVIDIUM NASONEM EXULEM POETAM

Illic unde tibi est Aquilo, Campania felix,
unde tibi rutilat, sole oriente, dies,
campestrique humilique loco, mea «Terra Laboris»,
ortus ego, —unde feram dulce laboris onus—;

ortus ego agricolis Sancti Felicis, aduncus
quorum vomer adhuc gloria pura nitet.

Haud procul alma tibi patria est, mi Naso Poeta,
pastor ubi tenues dat teretesque sonos...

Te vehementer amo, Naso: tua numina sancta
Spiritus omnipotens dedat habere mihi!

Disparibus fecit profugos rationibus ille
nos fatalis Amor —nonne tyrannus amor?—:

te deus ille jubet «*tenerorum lusor amorum*»
jam mutare tuae tot tibi cara domus;

excit amor Veri me Libertatis amorque:
me Deus urget adhuc, qui tibi Caesar erat!

Sunt Scythia atque Tomi Patavi: tenebraeque geluque
quae soli radios pandere saepe negant;

Saepe etiam Patavi fervent ardoribus orae
nullaque, Campanos quae beat aura, mihi est.

Tangit amor pagi desideriumque perenne
me, tibi nec pariter flebilis exul ero.

Cara tibi conjunx utinam tecum usque fuisset,
uxor ut est mecum Rina suave canens...

Flebimus impariter, Naso... Solacia tanta
dat poenas mulcens exulis uxoris amans!...

AD CATULLUM POETAM

Vincit magnanimus Catullus omnes
vates, qui fuerant et antea et qui
futuri lyrici per omne saeclum
erant, Roma, tibi. Catullianis
doctis *carminibus* novisque semper
Flaccus subjacuit quoque ipse; *nugas*
festivas etiam recentiorum
illius recolit caterva vatum.

Adhuc Lesbia vivit; et per annos
vivit passer adhuc bonae puellae,
quamquam mortuus occidisse fertur;
vivit tam celer ille jam phaselus...

Praestat flens elegidium Poetae
cunctis, dum insula Sirmio lacusque
Benacus resonant; nitent per urbem
Veronam atria dum superba et alta
circi rudera... dumque, Roma, stabis!...

IN VERGILIUM MARONEM AGRORUM POETAM

Tu mihi, caste Maro, cunctos carissimus inter
Romanos vates Ausoniosque nites;
tu quoque camporum vitam vehementer amabas,
rura colens patriae, non secus ipse meae.

Mantua non tantum tibi cara, aut maxima Roma,
ille tuus quantum carus agellus erat;
nec tibi blanditum Romae tam nobile nomen:
Andibus ex minimis gloria nonne satis?

Arvaque Parthenopes tibi splendida carmina dictant:
Pompeios inter Pausilypumque canis:
hinc Capreas spectans bibis auribus ecce canoras
Sirenum voces ambrosiumque melos!

Dum memor ipse, tuos non obliviscar amatos
campos et colles, quos meus ambit amor;
qua mea, blandisono risu fulgente, juventa
oblectabatur carmina prima ferens!...

Arboreaeque juvant te turmae, bos ubi pinguis
mugit, ubi grylli lusciniaeque gemunt;

plena gerunt matres cerasis puerique canistra,
et per arata serunt semina justa patres...

Mecum semper erunt natalis rura «Toronis»,
rudera quae pagi sunt velut ossa mei.

Usque tuas valeam sanctas celebrare Camoenas,
Sancti Felicis cara per arva, Maro;

Campanis rutilant ubi Majo mense perenni
—ver quasi perpetuum— cum mare terra, polus!

IN Q. HORATIUM FLACCUM NATALE SOLUM REVISENTEM

Nunc gemitus ducis, felix qui semper, Horati,
et tibi nunc lacrimas pectoris ima premunt,

cum tua monstrat amans montes Apulia, quamquam
sit Varius tecum Vergiliusque pius!...

Dulce tuam frontem patrii de monte Matino
permulcent zephyri, qua tyma carpit apis;

Vulturis invitam te bina cacumina montis,
saxa revisentem ruraque cara nimis.

Tale mihi quotiens montes Campania monstrat,
spiritus iste, carens voce, susurrat «ave»!

Adspiciens pagum, tilia mussante per auras,
—quae mecum nata est, sicut amata soror—,

hi calidis oculi stillis lacrimantur obortis
tristitia pleni laetitiaque simul.

O utinam similis tibi, ter mihi dulcis Horati,
natali terra carmina digna darem:

non mihi tam parvo cuperem monumenta poetae,
Sancto Felici quam decus omne meo!...

D E I M O N I T U S
EX «LONGARONIS» HORRIBILI CALAMITATE

Noctem per altam quis morientium
 audit querelas spe sine turbidas?

Mortalium immortalis Creator
 tot lacrimas numerat sacratque!

Arcana cuius vis sapientiae
 et in malorum congerie viget:

Ex clade Longaronis orta
 vox sociat pietatis orbem.

Quam saepe caeco Daemonio duce
 haec terra saevit viribus ebria,
 ut montium moles soluta
 gentibus ingeminet ruinas!

Cur hactenus, cur scilicet Alpibus
 imago summi roboris incluta?

Nunc culmen excussum fragore
 nonne petit reboante stagnum?

Quid jam ruentes per juga fulgure
 acti petrarum, quid nivium globi?

Quid Adriae vicos inundans
 Eridanus segetesque laetas?

Quae causa tantae sollicitudinis
 fuere jam olim, nunc puerilia:
 montes et alti, nunc lacusque
 pernicies populis daturi...

fatale donec tempus ad ultimum
 caeli cadentes horrida perferent
 mortalibus, terrae marique,
 arboribusque ferisque finem!

Si mortuorum millia flevimus,
 flebunt per orbem millia millium...
 probare mortales patentes
 namque Dei monitus recusant.

At saepe aquarum motibus insciis
 terraeque gestis per lacrimas magis
 nos aequat humanos et unit
 angelus omnipotens doloris.

Quae cura natis matre carentibus,
ni matris orbae jam pueris suis?
Quisnam casas, aut, heu! sepulcra
aedificet, nisi qui supersit?

Cunctis paternae splendet originis
in fronte nobis spiritus unicus,
humanitatem si colamus
pacifera ut niteas, oliva.

Mundum sceleste territat in dies
nun pila fissis ex atomis furens;
at terra nos exsorbet, astra
dum cupimus... dehiscens!

Lunam serenam tangere nitimur,
gentes at inter jungere mutuo
non suevimus dextras amore,
flectere nec Domino rebelles.

Nemo tuarum despiciat sitim
rerum novarum, docta scientia:
audere semper tu memento,
dum minime meritis tumescas.

Aetatibus nec barbarioribus
est segregatum Numen: in omnibus
tardae licet progressionis
Numinis est gradibus Voluntas!

Immanis agger, qui patulo sinu
ex vallis imis undique fontibus,
ad instar alpinae lacunae,
accumulat fluvios in unum,

ad maesta jactis sidera fluctibus,
frustra ruinae continet impetum:
instanter humanos superbos
imperiosa domat creatrix

natura, summi filia Numinis,
luctus quod omnes temperat anxium,
nos usque quod certis gubernat
auspicii melioris aevi,

cum, merso in umbris Tartareo Duce,
humana scandet progenies polum,
tandem triumphantis beata
pace Dei fruitura semper!

TRES MEDICI...

Sunt mihi tres medici... Perhibent medicamina cordi,
nervis et ventri: nescio quī moriar!...

Me —nisi tres ipsi morbis moriantur iisdem,
sint licet insignes arte Machaonia,
ad multos annos ut vivam denique sanus,
his tribus Omnipotens liberet ipse precor!

AETERNA ANIMAE JUVENTUS

Nonne juventutis nostrae post tempora dulcem
annorum seriem maesta sepulcra tenent?

Vere nitente redit cunctis laetabile tempus:
me vero morbis atra senecta premit!

Ver aperit flores, aperit volucrumque loquelas:
non aperit pariter carmina amata mihi...

Ver per aprica micat radiis loca solis; hirundo,
garrula pervolitans, arva viasque secat.

Ast ego nunc taceo: flores contemplor inanis,
caeruleusque mihi fulget inane polus.

Tristem solatur me quae fuit alma Poesis:
mea prospiciens lassa Camena gemit!

Dum tamen assidue circum me garrula Rina est
conjunx, assidue ver ea floret amans;
montibus e celsis ad campos rivus amoenos
descendit, placide murmura blanda ciens,
usque beant oculos vernantes floribus horti,
usque et aves oculos auriculasque beant!...

CICERONIS SPECIMINA

III

TULLIUS s. d. TERENTIAE SUAE

—ad fam. 14,5—

Cui mittitur epistula? — Terentiae, quae ex nobilissima familia romana orta, anno 80 ante Christum natum, cum M. Tilio Cicero-ne matrimonio conjuncta est; ex eaque M. Tullius duos habuit libe-ros, Tulliam et Ciceronem.

Terentia ingenio, prudentia, constantia, integris moribus praestit, et praesertim perpetua erga Tullium fidelitate vel in adversa exilii fortuna; sed deinde eo quod rem familiarem haud recte gesse-rat, aliisque ex indolis vitiis, Cicero matrimonium solvit.

Terentia, aetate gravis, secundum et centesimum complevit an-num.

Cicero annum proconsulis munus in Cilicia exsecutus erat, et ex urbe Athenis ad uxorem hanc mittit epistulam seque propediem Romam venturum nuntiat; et, quamquam adversam rei publicae for-tunam praesentit et bellum quod imminet, tamen pericula obire non recusat.

EPISTULAE SUMMA. — Quattuor, primo intuitu, in mentem le-gentis veniunt notiones, quae simplici dicendi genere evolvuntur:

1. *de navigatione:* veni Athenas incommoda sane navigatione —ipse enim in navi nauseaverat—; exeuntibus nobis de navi Acas-tus praesto fuit, diligenter sane et strenue.

2. *de epistulis:* epistulas omnes, quas ad me dedisti, accepi, in quibus omnia subtiliter describuntur. Haec autem brevis est, sed quia jam nos ipsos exspectas, qui et desideramus ad vos quam primum venire.

3. *res adversae:* adversa rei publicae praevideo, cum omnia —ut ex amicorum litteris cognovi— ad arma, id est ad bellum, spectent; attamen fortunam subibo.

4. *de adventu meo in Italiam:* velim mihi quam longissime —ideo quam primum— mihi obvia fias; medio enim mense novem-bri Italiam appellemus.

Ipsam nunc lege epistulam:

Tullius s. d. Terentiae suae.

Si tu et Tullia, lux nostra, valetis, ego et suavissimus Cicero valemus. Pridie idus octobres Athenas venimus, cum sane adversis ventis usi essemus tardeque et incommodo navigassemus. De navi ex euntibus nobis Acastus cum litteris praesto fuit uno et vicesimo die sane strenue.

Accepi tuas litteras, quibus intellexi te vereri ne superiores mihi redditae non essent. Omnes sunt redditae diligentissimeque a te perscripta omnia, idque mihi gratissimum fuit. Neque sum admiratus hanc epistulam, quam Acastus attulit, brevem fuisse: jam enim me ipsum exspectas sive nos ipsos, qui quidem quam primum ad vos venire cupimus; etsi in quam rem publicam veniamus intellego. Cognovi enim ex multorum amicorum litteris, quas attulit Acastus, ad arma rem spectare, ut mihi, cum venero, dissimulare non liceat, quid sentiam. Sed quoniam subeunda fortuna est, eo citius dabimus operam ut veniamus, quo facilius de tota re deliberemus.

Tu velim quod commodo valetudinis tuae fiat, quam longissime poteris, obviam nobis prodeas...

Nos, si dii adjuvabunt, circiter idus novembres in Italia speramus fore. Vos mea suavissima et optatissima Terentia, si nos amatissimae curate ut valeatis. Vale.

Athenis, ante diem XVII kalendas novembres.

S I TU EL TULLIA VALETIS: propositio condicionalis, in qua condicio expleta aestimatur, et ideo indicativo effertur. Altera vero propositio —id est *apodosis*—, in conditionali *reali*, in indicativo ponitur¹; hic tamen omittitur —ut et alibi: «Si vos valetis [...], nos valemus» (*ad fam*; 14,14)—; sed perspicue intellegitur: *bene est*. Quae altera propositionis pars in multis epistulis ad Terentiam invenitur: «Si vales, *bene est*: valeo» (14,11; 14,16; 14,17; 14, 21); «Si vales, *bene est*: ego valeo» (14,8). — In epistulis Ciceronis hujusmodi verborum vel propositionum omissiones saepe invenies; cfr. O. TESCATI, *Sintassi latina*, Torino [SEI], 1957, n. 573-576.

LUX NOSTRA: substantivum «appositorum» seu continuatum, quod *casu saltem* cum nomine concordat; genere et numero, si id fieri potest: nam conexio appositi cum nomine non adeo firma est ut abrumpi ne-

1. LLOBERA, *Grammatica*, n. 305; ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.* 2, & 369.

queat: «*Tulliola, deliciae nostrae* [nomen in *sing.*, appositum vero in *plurali*], tuum munusculum flagitat» CIC. *ad Att.*, 1,8,3².

VALETIS: verbum in numero *plurali*; nam, cum duo vel plura sunt subjecta, verbum concordat in *plurali* a) cum omnibus, aut b) cum viciniori tantum, aut c) cum nobiliore, praesertim d) cum verbum praeit, aut e) primum subjectum proxime subsequitur:

- a) «Pater, ego, fratres mei pro vobis arma *tulimus*» LIV., 37,53,24.
«Nomen et arma locum *servant*» VERG. *Aen.*, 6, 507.
- b) «Video... in me omnium vestrum ora atque *oculos* esse *conversos*» CIC. *in Cat.*, 4,1.
«Mater tua et soror a me *diligitur*» CIC. *ad Att.*, 1,8,1.
- c) «*Ego populusque romanus bellum indico*» LIV., 1,32,13.
- d) «*Dixit hoc apud vos Zosippus et Ismenias*» CIC. *Verr.*, 4,42,92.
- e) «*Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam*» CIC. *Tusc.*, 1,1,3³.

EGO ET SUAVISSIMUS CICERO VALEMUS: is qui loquitur primo loco se ipse nominat; nos ex comitate, ut credimus, extremo loco nomen aut pronomen apponimus.

PRIDIE IDUS OCTOBRES: *october* in mensibus singularibus numeratur in quibus «*idus*» die 15 habebantur [*mar-ma-jul-oct-*], cfr. *Palaestra Lat.*, 40 (1970).

ATHENAS: relatio loci *quo*; cum *urbium nominibus* adhibetur *accusativus sine praepositione*.

VENIMUS: animadverte: *vēniō* (*advēnis* — *advēnit* — *advēnimus*: PRAES.); *vēni* (*advēni* — *advēnit* — *advēnīmus*: PRAET. PERF.): «Et *vēnīmus* adorare eum» (*Matth.*, 2,2).

CUM: *cum* «*historicum*»: ita appellatur quod seriem factorum saepe narret; jungitur cum *imperfecto* et *plusqperf.* *subjunctivi*, et in linguis romanicis saepe per *gerundium* redditur. Hac autem conjunctione (*cum...*) momentum — seu occasio — *eventūs* urgetur qui in propositione primaria narratur, ita ut sensui temporali subinde notio *causae*, *oppositionis*... subjungatur. Haec constructio sub fine rei publicae usu demum firmatur⁴. Cfr. supra: «*Antii cum essem*», *Palaestra Lat.*, 40 (1970) 24.

2. LLOBERA, n. 200; ERNOUT-TH., *Synt. lat.* 2, & 158.

3. Cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.* 2, & 149-150; J. LEBRETON, *Études sur la langue et la grammaire de Cic.*, Hildesheim 1965, pp. 1-24.

4. Cfr. LLOBERA, *Grammatica*, n. 315; ERNOUT-THOMAS, *Synt. lat.* 2, & 361.

ADVERSIS VENTIS: *ad-versus* est 'is (id) qui ponitur *versus*, qui est ante, coram, qui nobis opponitur' ['qui est en face, a l'opposite, devant' — 'volto di fronte, posto davanti, di faccia; opposto, contrario, nemico']; tu ipse exempla conferas:

«adverso colle» CAES. *B.G.*, 2,19,8 ['subiendo (por delante) la cuesta de la colina'].

«adverso flumine» ['en marchant dans le sens contraire du courant' — 'risalendo la corrente' — 'contra la corriente'].

«ex adverso» LIV., 22,4,4 ['en face, a l'opposé' — 'di fronte, dirimetto, davanti'].

«adversa patrum voluntate» LIV., 1,46,2 ['contra la voluntad de los patricios'].

«saevo vento, non adverso» CIC. *ad Att.*, 5,12,1 ['le vent étant violent, sans être contraire'].

«res adversae — adversa» ['sucesos adversos, desgracia, adversidad'].

«ut vero Hannibal ipse...*adversum* femur tragūla graviter ictus cedit» LIV. 21,7,10 ['herido en el muslo, por delante'].

TARDE: [it.: 'tardamente; lentamente' — gal.: 'lentement'].

INCOMMODE: «sine commodo» [hisp.: 'con incomodidad' — it.: 'scomodamente, in modo spiacevole'].

NAVIGASSEMUS: forma contracta pro *navigavissemus*; nam in praeteritis in —*avi* et —*evi* desinentibus, et in temporibus quae ab his deducuntur, syllabae —*vi*, —*ve* saepe omittuntur: «*amastis*, *navigastis*, *navigarunt*, *navigassem*; *delerunt*, *deleram*».

Navigo est a *navis* et *ago*; cfr. vocabula quae sequuntur a *navi* et *navigare*, quorum sensus tu ipse educere potes: *navicula*, *navicella*; *navicularius*, *nauclarius*; *navicularia*; *navigium*, *navigator*, *navigabilis*; *adnavigare*; *praeternavigare*; *transnavigare*; *Navisalvia*; *naufrāgus*, *naufrāgo*; *nauta*, *navita*; *nausia*, *nauseo*, *nauseabundus*, *nauseosus*; *navarchus*; *naupēgus*; *naumachia*; *naulum*; *nautīlus*.

EXEUNTIBUS: participium cum *nobis* conexum: «nobis qui *exibamus* = *exeuntibus*; cfr. supra: *ei cupienti*, cfr. *Palaestra Lat.* 40 (1970).

PRAESTO FUIT: ['se me presentó al punto' — 'trovai là pronto']; «*praesto*» = it.: 'presente, a portata di mano, in pronto' — gal.: 'sous le main, ici présent' — germ.: 'bei der Hand, zu Diensten sein'.

UNO ET VICESIMO DIE: de genere nominis *dies* cfr. supra: «*dies enim nullus erat, quo die*», *Palaestra Lat.*, 40 (1970) 23. Substantivum, quo significatur *quando res fit, ablativo effertur*: «*vicesimo die*». — Ac de numeralibus id memoria tene: semper dicitur: *undecimus*, *duo-*

decimus | non: decimus primus, d. secundus|; tertius decimus | rectius quam «decimus tertius, quartus...|; unus et vicesimus, ut habet Cicero | minus saepe: «primus et vicesimus, vicesimus primus»!.

SANE STRENUE: [hisp.: 'con mucha diligencia por cierto = ¡muy valiente!' — it.: 'molto coraggioso, (molto bravo)'].

INTELLEXI: *inter — lego*; a quo verbo primario habes:

<i>lego</i>	>	<i>colligo</i>	—	<i>collectio</i>	—	<i>collecta</i>
<i>deligo</i>		<i>delecti</i>	—	<i>delectus, us</i>		
<i>eligo</i>		<i>elegans</i>	—	<i>eleganter</i>	—	<i>ineleganter</i>
<i>relēgo</i>		<i>religio</i> ⁵				
<i>seligo</i>						
<i>diligo</i>		<i>dilectus</i>	—	<i>diligens</i>	—	<i>diligentia</i>
<i>intellēgo</i>		<i>intellegens</i>	—	<i>intellegentia</i>	—	<i>intellectus, us</i>
<i>neglēgo</i>		<i>neglegentia</i>	—	<i>neglegens</i> .		

TE VERERI NE...: in verbis et locutionibus *timendi* subjunctivus, adjecta particula *ut (ne non)*, adhibetur si quid non fieri timemus [*et ideo rem cupimus: hisp.: «temía que no»; ne vero si fieri timemus [: et ideo rem evenire nolumus: hisp.: «tenía que»]; verba timendi cum infinito construi etiam possunt; sed vereor laudare praesentem (CIC. de nat. deor., 1, 21, 58) idem valet atque «non audeo...»*⁶.

SUPERIORES: cum de tempore vel de rerum successione loquimur significat: it.: «*superiore, anteriore, precedente, passato, più antico, più vecchio*» — gal.: «*précédent, antérieur, plus âgé*»; cfr.

5. Ita saltem Cicero et alii plurimi religionem a 'relegendo' ducunt: *Qui omnia tamquam relegerant, sunt dicti religiosi a relegendo, ut elegantes, ex eligendo (de nat. d., 2,28,72);* alii —in quibus Lactantius (*Inst.*, 4,28,2), Stus. Augustinus, Thomas Aquinas (*Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, 1,1,5-7) a *relegando* ducunt; de origine vocis apud scriptores disceptatur, cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol.*, s.v. *religio*.

6. Paoli (*Manuale de sintassi latina*³, Firenze 1957, & 266, note 1-4) praecepta quae vulgo a grammaticis traduntur de interpretandis verbis *timendi*, non accipit remque probat; sed exempla potius referri videntur ad rationem qua Itali haec verba in latinum vertere debent; digna tamen sunt quae de sensu *timeo ut* tradit: «si usa *ut*, quando, più che timore, si esprima la scarsa convinzione che una cosa avvenga: ... *timeo ut sustineas* (CIC., *ad fam.*, XIV, 2,3): «temo che tu non possa reggere» (senso: 'dubito fortemente che tu possa reggere'; o anche 'ma ci reggerai?'. — Attamen, ERNOUT-THOMAS (*Syntaxe lat.*², & 311) alia ratione evolutionem et sensum hujus formae *timeo ut* explicant: «C'est *ut* interrogatif qui était anciennement utilisé: *timeo ut veniat* «je me demande avec crainte *comment* il pourrait venir»; CIC., *Fa.* 14,2,3: *omnes labores te excipere video; timeo ut sustineas* «je te vois assument toutes les fatigues; je crains que tu ne le supportes pas»; la construction est la même que dans la phrase *quid possem timebam* de Cic., *At.* 12,24,1».

«omnes superiores dies» CAES. *B.G.*, 6,36,1;
 «superiora proelia» CAES. *B.G.* 2,20;
 «superiore nocte» CIC. *in Cat.*, 1,1;
 «Africanus superior» CIC. *pro Arch.*, 22;
 «ut superiora omittam» CIC. *Phil.*, 5,35.

HANC: id est quam *apud me* habeo.

ATTULIT: *tuli* dicitur a prisco praet. perf. duplicato *tētūli* (ut in compositis *ret(ē)tuli* > *rettūli* manifestum fit). *Tuli*, (*t*)*latum* sunt praeteritum et supinum verbi *tollo* quae in verbum *fero* sunt translata, ac deinde in omnia ejusdem verbi composita⁷.

FUISSE: animo adverte hujus sententiae tempora, quae omnia praet. perfecto efferuntur: *sum admiratus* — *attulit* — *fuisse* [hisp.: 'que sea breve'].

ME IPSUM: *ipse* adhibetur cum de quadam persona aut re *definita* agimus et *non de alia*; usurpatur ut pronomen personale: «*ipse dixit*» [l'ha detto lui']; «*ipse faciam*» ['lo farò da me']; «*quaeque ipse miserrima vidi*» VERG. *Aen.*; 2, 5; et ut adjективum; «*ipse Caesar*» (CIC. *ad fam.*, 6, 10, 2) ['Cesare in persona' — César lui même']; «*valvae se ipsae aperuerunt*». «*Ego ipse*» ['io in persona']; «*tunc ipsum*» ['proprio allora' — 'alors même']; «*ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant*» ['le stesse sorgenti, persino questi arbusti ti chiamavano']. — *Idem* vero significat: «le même, *identique* — lo stesso, il medesimo»: «*magister idem*» ['lo stesso (il medesimo) maestro']; «*ego idem*» ['io stesso']; «*idem tu*» ['proprio tu'].

EXSPECTAS: multa sunt composita et derivata quae ab antiquo **specio* ducuntur, in quibus verbum *exspecto*.

NOS IPSOS: Tullium ejusque filium.

QUI QUIDEM: Romani propositiones inter se conectere amant; et ideo propositio independens vel primaria cum alia ejusdem naturae conjungitur, idque gerundiis, conjunctionibus, relativis fit. Tunc vero *qui* respondet *et is, is autem, is vero, is igitur*; neque tamen alia adiungenda est relativo (*qui*) conjunctio —nam hoc prorsus copulatur—. —Invenies tamen — ut hic in epistula Ciceronis — *qui quidem, qui tamen, [autem, enim...]* quae aut exceptiones habentur, aut *quidem*,

7. Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol.*, s.v. *tollo*; ERNOUT, *Morphologie historique du latin*³, Paris 1953, n. 279.

tamen... in adverbiiis numerantur aut ad sequentem propositionem referuntur; cfr. «Quod quidem cogitans» CIC. Tusc. 1, 21,48⁸.

QUAM PRIMUM: quam praeponitur superlativis: *quam saepissime, quam maxime, quam plurimum...*; *primum* est superlativum, nam *prior* dicitur de duobus, *primus* de tribus saltem.

CUPIMUS: cfr. *discrimen*: optare est «animo eligere»: 'choisir, souhaiter';

cupere est «velle cupide»: 'désiderer avec passion';

desiderare est «aegre ferre rem non habere»: 'remarquer l'absence de, soupirer après, regretter';

appetere «instinctu ferri»: 'chercher à obtenir, aspirer à'⁹.

ETSI... INTELLEGO: *etsi* = 'même si, quand bien même; bien que, quoique' — 'sebbene, quantunque, benchè; tuttavia'. — Haec particula eadem ratione syntactica regitur atque condicionales (*si...*); eaque significatur momentum, occasio, res qua actio impediri posset, sed nihilo minus res fit¹⁰.

IN QUAM... VENIAMUS: interrogatio indirecta, ideo in subjunctivo.

COGNOVI: cfr. *Palaestra Lat.*, 40 (1970), de «aspectu verbali»; idque adnota in inchoativis suffixum —*sco* initium actionis seu majorem vim in agendo significare: *nosco (cognosco)* 'je comence a connaître' — 'comincio a conoscere'; *perfectum* vero carere hoc suffixo (—*sco*), quia in eo notio actionis perfectae seu jam assecutae continetur. Ergo: *cognovi*: 'prorsus, omnino nunc scio'¹¹.

EX AMICORUM LITTERIS: substantivum «definiens» [determinans], id est *regens* praecedere solet vocem quae regitur [seu complementum «definitum», determinatum], eo quod genetivus valde similis sit adjektivo seu «discretivo»: *pater familias; orbis terrae; tribunus plebis*, cfr. *Palaestra Lat.*, 40 (1970): «mi Tiro». Quod si specialis vis seu praestantia, ex distinctione, oppositione, comparatione genetivo addatur, *praecedit complementum* (= «genetivus»): «*animi morbus*»: ex oppositione cum «*morbus corporis*»; «*senatus consultum*», «*plebis scitum*», quia definiri oportet a quo *consultum, scitum* in re publica procedat.

8. Cfr. BERGER, *Stylisque lat.*⁴, & 37 bis, Rem. I; ERNOUT-TH., *Synt. lat.*², & 423; LEBRETON, *Études sur la langue... de Cic*, p. 323.

9. ALTHENHOVEN, *Synonymes lat.*, n. 174.

10. ERNOUT-THOMAS, *Synt. lat.*², & 348.

11. Cfr. ERNOUT-THOMAS, *Synt. lat.* 237-238.

Ratio tamen anteponendi genetivi occulta esse potest, ut hic adesse videtur: «non ex litteris *tuis*», sed «ex *amicorum* litteris»¹².

AD ARMA REM SPECTARE: Romani aliquando vocabulis utuntur vagae — seu generalioris — significationis ubi nos vocem definitam — seu determinatam — adhibemus. Quod in voce *res* praecipue manifestum fit, qua multa exprimi possunt, ut:

«*Res* praetoribus erat nota» [= secretum] Cic. in *Cat.*, 3,2,6.

«*rem* integrum deferrem» [= quaestionem: 'l'affaire' — 'cuestión'] Cic., in *Cat.*, 3,3,7.

«*res* loquitur ipsa» [= factum] Cic., pro *Mil.*, 20,53.

«Male se *res* habet» Cic. de *off.*, 2,6,22.

«Minime mirum si ista *res* adhuc nostra lingua illustrata non est» [=historia] Cic. de *orat.*, 2,13,55.

Ex quo *res* saepe pro substantivo ponitur aut argumento de quo *supra* actum est; et in universum pro quocumque nomine cuius sensus ex ipso orationis tenore percipitur:

«Pauca de hac *re* tradita sunt» [= de hoc eventu].

«Quocumque *res* postulat modo» [= tempus, occasio, adjuncta].

«Nondum *res* ipsa... viros bonos compellebat» [=adjuncta] Cic. pro *Sest.*, 39,84.

AD ARMA SPECTARE: 'tendre à, avoir en vue' — «tendere ad, mirare a' — 'inclinarse, prepararse, mirar a': «estamos abocados a la guerra». — Cfr. similia exempla: «Mea consilia ad salutem sociorum spectaverunt» Cic. in *Verr.*, 5,188.

«*Res* ad caedem maximam *spectabat*» Cic. ad *Att.*, 14, 13, 2.

«*Res* eo *spectat* ut...» Cic. pro *Lig.*, 5, 13.

«Ad perorandum *spectat* sermo tuus» Cic. *Brut.*, 282.

UT MIHI... DISSIMULARE NON LICEAT: ex supra allatis exemplis usitata est locutio «eo *spectat* ut».

MIHI LICEAT: «dativus commodi», qui ita vocatur ex commodo vel incommodo quod in aliquem redundat: «Grata *mihi* vehementer est memoria nostri tua Cic. 12, 17, 1. «Peccare *nemini* licet» Cic. *Tusc.* 5, 19, 55¹³.

Licet secum fert «infinitivum subjectivum»: «*Licet* autem *nemini* contra patriam ducere exercitum».

12. De hac quaestione cfr. MAROUZEAU, *L'ordre des mots...*, n. 83-94.

13. Cfr. LLOBERA, *Grammatica*, 254, b, 1.

CUM VENERO: futurum perfect.; notio verbi *liceat* etiam futura est [*hisp.*: 'de tal manera que cuando llegue, cuando llegaré no podré menos de manifestar — no me será posible disimular — mis sentimientos, mi pensamiento'].

QUID SENTIAM: Romani alia ratione ac nos vocabula quae *abstracta* dicuntur «*saepe*» —non semper— exprimebant; nam ubi nos nomen abstractum apponimus, illi *a*) orationem infinitivam, aut *b*) participium, aut *c*) relativum, aut *d*) propositionem conjunctivam (= *adjecta conjunctione*), aut *e*) interrogativam indirectam aliasque loquendi formas adhibebant:

a) «Plerique *deos esse* dixerunt; *nullos esse* omnino Diagoras putavit» Cic. *de nat. deor.*, 1,1,2 ['affirmer — nier l'*existance* des dieux' — 'affirmare — negare l'*esistenza* degli dei']

«*Permanere animos arbitramur*» Cic. *Tusc.*, 1,16,36 ['crediamo nell'*immortalità* dell'anima'].

«*Id unum verum esse puta*» ['questa, credi pure, è la sola *verità*'].

«*Istuc nihil dolere*» Cic. *Tusc.*, 3,6,12 ['*absence* du douleur'].

b) «*Sol oriens et occidens diem noctemque conficit*» Cic. *de nat. deor.*, 2,40,102 [:*ortus et occasus* — 'le lever et le coucher du soleil' — 'la levata e il tramonto del sole'].

«*Homerus fuit ante Romanam conditam*». — «*Ante Christum, post Chr. natum*».

«*Ex litteris nostris... et missis et allatis*» Cic. *pro Font.*, 8,18 ['por nuestra correspondencia' — 'dal nostro scambio di corrispondenza']

«*Post libertatem amissam*» ['dopo la perdita della libertà'].

«*Ab oppugnanda urbe Poenum absterruere conspecta moenia*» Liv., 23,1,10 ['la vue des murs' — l'assaut'].

«*Liber de contemnenda morte*» [de *contemptu mortis*] .

«*Ineunte aetate*» — Me *absente* ['in mia assenza'].

«*Me favente*» ['col mio favore'].

«*Djis adjuvantibus*» [cfr. in hac epist.: «*si dii adjuvabunt*»].

c) «*Nihil admirabilius quam quo modo ille mortem filii tulit*» Cic. *de sent.*, 4,12 ['son actitude lors de la mort de son fils'].

«*Id quo tendebat assecutus est*» ['raggiunse il suo scopo'].

«*Quae animo concipimus*» [l'attività del pensiero'].

«*Quod animo proposueram*».

d) «*Si nihil haberet animus hominis nisi ut appeteret et fugeret*» Cic. *Tusc.*, 1,24,56 ['si l'âme humaine n'avait d'autre faculté que celle du désir et de l'aversion'].

«*Hoc ut sibi liceret impetraverunt*» Liv., 24,3,10 ['cette permission'].

«*Quae cum ita sint*» ['dans ces circonstances'].

«*Dum haec geruntur*» ['pendant ce temps'].

«*Si dii adjuvabunt*» ['con la ayuda, con el favor de los dioses'].

e) «*Plane quid sentiam enuntiabo*» Cic. *de orat.*, 1,26,119 ['il mio sentimento, il mio pensiero'].

«*Quid cogitent me scire sentiunt*» Cic. *in Cat.*, 2,3,5 ['i loro disegni'].

«*Quid ex quaque re soleat evenire*» Cic. *de invent.*, 1,28,42 ['gli effetti di ciascuna cosa'].

«*Cur id sentiam breviter exponam*» ['le ragioni di questo mio giudizio'].

«*Quid natura postulet considera*» ['le esigenze della natura'].

Hanc linguae latinae indolem perpetuo memoria tenere debemus, qua perpensa multa in interpretandis scriptoribus latinis nobis faciliora fient, atque recta aperietur via qua cogitata nostra in linguam latinam proprie ac latine convertamus¹⁴.

COGNOVI...: totam hanc periodum considera:

COGNOVI ex multorum amicorum litteris	ad arma rem spectare	dissimulare
quas attulit Acastus	ut mihi	non liceat quid sentiam
		cum venero

SUBEUNDA FORTUNA EST: verba quae ex *eo* componuntur pasive flecti possunt, saltem in aliquibus formis (*adeo*, *coeo*, *ineo*, *praetereo* in *omnibus*) et nota gerundivum *semper esse passivum* «*vel in deponentibus*», et conjugationem periphrasticam necessitatem et officium adsignificare potius quam tempus futurum [‘*he de* pasar, soportar, afrontar esta suerte, esta situación, esta calamidad’]¹⁵.

Eo CITIUS... QUO FACILIUS: propositio comparativa proportione facta (*quanto magis... tanto magis*):

«*Eo crassior est aër quo terris propior*» SEN. *Nat.* 7, 22, 2. Habes: «*cito — citius — citissime*» [‘presto, prontamente, celermente’: *it.*].

Quo: adhibetur plerumque in oratione finali in qua inest comparativus (*quo facilius*), et respondet *ut eo*, *ut ea re; quo* proprie est «*ablativus*» pronominis relativi *quod*, in adverbium commutatus.

DABIMUS OPERAM: cfr. similia: «*studere gratum se videri*»; «*aestuat laboratque*»; «*contendere ut*» (vel cum *infinit.*).

DELIBEREMUS: dicitur a *libero* (et *liber*) | délibérer, mettre en délibération; résoudre, décider de]. Aliud sentiebant veteres, nam a *libella* verbum derivabant: «a libella qua quid perpenditur dictum» *Fest.*, 65, 3¹⁶.

VELIM: optativus, quo saepe id quod jubetur temperatur; hoc loco *velim* sine part. *ut usurpatur*: *velim... prodeas*; idque significare vi-

14. Cfr. PAOLI, *Scriver latino*, & 38-45; ISSELÉ, n. 18; BERGER, n. 73; GANDINO, *Lo stile latino*, Torino 1962, 1,1,2.

15. LLOBERA, *Grammatica*, 113; 131; 121.

16. Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymolog.*, s.v. *delibero*.

detur: «*veni, sis — si placet —*» ['ven a mi encuentro, *por favor*; ven, te lo ruego'].

QUOD COMMODO TUAE VALETUDINIS FIAT: *quod* est relativum; *commodo* est ablativus modi ['se puoi farlo senza tuo scommodo']. Cfr. «Peto a te..., *quod sine tua molestia fiat*, ut...» *Cic. ad fam.*, 13, 2.

QUAM LONGISSIME POTERIS: «Ad significandum gradum omnium altissimum superlativis jungitur *quam* vel solum vel sequente verbo *possum...*» — «Peto a te ut *quam celerrime* mihi librarius mittatur». *Cic. ad fam.* 16, 21, 8 ['lo más presto posible, a todo correr, a más correr'].

«(Aves) nidos construunt, cosque *quam possunt mollissime* sub-sternunt» *Cic. de nat. deor.*, 2, 52, 129¹⁷.

— *Poteris*: animadverte tempus.

OBVIAM: *ob viam* ['devant la route, a la l'encontre de' — 'incontro a'].

— Sensum compositorum ex voce *via* tu ipse facile explicabis: (*avius*, poët.) — *devius* — *invius* — *obvius* — *pervius* — *impervius* — *praevius* — *bivius bivium* — *trivius* — *trivium* — *trivialis* (*lat. imper.*) — *quadrivius* — *quadrivium*.

PRODEAS: distingue: *prodeo* = *pro d-eo ii, itum* ['s'avancer'; 'avanzarsi — procedere'; 'adelantarse'] a *prodo is, ere, didi, ditum* ['mandar fuori, emettere, produrre'].

SI DII ADJUVABUNT: cfr. supra, ubi egimus de ratione nostra loquendi abstracta ['con la *ayuda* de los dioses'], pag 119 (=*'quid sentiam'*, *d*). — Apud optimos scriptores leges: *dii, diis, sed saepius di, dis, aliquando dei*. — Nota futurum: *adjuvabunt*.

SPERAMUS FORE: verba *promittendi, sperandi, minandi* cum rem futuram saepius adsificant, cum *infinitivo* «*futuro*» construuntur; qua oratione infinitiva utuntur classici scriptores et Cicero in primis; ex sensu tamen aliquando usurpatur *praesens*¹⁸: «*Sperabat propediem magnas copias se habiturum*» *SALL. Cat.*, 56, 4.

Sed: «*spero Antonium Romae jam esse*», nam agitur de re praesenti.

«*Spero nostram amicitiam non egere testibus*» *Cic. ad fam.*, 2,2. ['je crois que notre amitié n'a pas besoin de témoins'].

17. LLOBERA, *Grammatica*, n. 100.

18. Cfr. P. MENNA, *Aspetti sintattici et lessicali ... nelle lettera ciceroniane*, Nola 1955, pp. 33-39.

MEA SUAVISSIMA TERENTIA: adject. possessivum *praecedit* eadem ratione qua supra (*Palaestra Lat.*, 40 (1970) dictum est (: «*mi Tiro*»)).

OPTATISSIMA: ab v. *opto*, participium *optatus* quod in adjectivum transiit.

SI NOS AMATIS: condicionalis realis. — «*Amare*», ut ait Stus. Isidorus, «nobis naturaliter insitum, diligere vero electione» (*Diff. 1, 17*); *amamus* igitur patriam, parentes, litteras; *diligimus* amicum (*di — lego*: 'quasi *eligo ab* aliis *sejungens*').

CURATE UT VALEATIS, VALE: aliquando *vale* conjungitur cum similibus *vale* dicendi formulis.

COLLOQUENDI EXERCITATIO

Explica mihi paucis verbis epistulam quam Cicero Terentiae uxori mittit.

— *Libenti animo id faciam, magister.*

Quis fuit Terentia?

— *Ciceronis uxor, virtutibus ornata, ingenio proestans, fide praeclara; cui Tullius (ab urbe) Athenis hanc mittit epistulam.*

Ubinam sunt Athenae?

— *Athenae, urbs nobilissima, est totius Graeciae caput, litterarum mater et magistra, ubi scientiae artesque omnes floruerunt.*

Quare Tullius Athenis versabatur?

— *Quia, e Cilicia provincia decēdens, Romam iter faciebat.*

Cur in Cilicia fuerat?

— *Quia ibi annuo proconsulis munere functus erat.*

Quo anno Tullius Cilicia provincia decessit?

— *Quarto et septingentesimo ab U. c. (:* 50 a. Chr. n.).

Quanto tempore Athenis commoratus est?

— *Totum fere mensem; quo tempore expleto navem in Italiam rediturus concendit.*

Quis patrem secutus est in Ciliciam, et Athenis tunc versabatur?

— *Cicero filius; nam in epistula est: «ego et suavissimus Cicero vallemus».*

Eratne Tullio alias filius?

— *Minime, sed filia, Tullia nomine, quae cum Terentia matre, Romiae erat.*

Quo modo filiam pater vocat?

— *«Lucem nostram».*

Fuitne Tullia felix?

— *Minime, nam duodecimo anno nata C. Calpurnio Pisoni nupsit, qui repentina morbo correptus paulo ante quam Tullius ab exilio, anno 57 a. Chr. n. revocaretur, decessit; et ipsa, duodecim annos post (: a 45 a Chr. n.) vita functa est.*

— Sed iterum ad Ciceronem: prospera fuit Ciceroni patri et filio navigatio?

— *Minime vero, sed adversis ventis navigarunt.*

Quis praesto fuit de navi exeuntibus?

— *Acastus, qui ad Tullium Terentiae litteras et amicorum afferebat.*

Quanto tempore Acastus iter Romā Athenas emensus erat?

— *Uno et vicesimo die.*

Ergo citato cursu, nonne?

— *Ita sane, diligenter et strenue.*

Quid autem Tullius acceperat?

— *Terentiae epistulas omnes, in quibus diligentissime omnia erant perscripta.*

Quid de epistula accepta censem?

— *Breviorem esse, sed eo quod Terentia Ciceronem patrem et filium jam exspectabat.*

Quid de re publica cognoverat?

— *Ex amicorum litteris intellexerat bellum imminēre (instare) — ad arma rem spectare —.*

De quo bello est sermo?

— *De intestino seu civili bello futuro inter Caesarem et Pompeium.*

Quid a Terentia Tullius rogat?

— *Ut sibi obviam procēdat quam longissime possit, id est ut continuo viae se committat.*

Quo die se Romae futurum arbitrabatur?

— *Circiter idus novembres, id est post dies fere octo et viginti a data epistula.*

Bene est!

JOSEPHUS M.^a MIR. C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

DE RE COSMONAUTICA

(eam, quae in n. 210 est edita, pars nona sequitur)

(LVIII) — Pridie kal. febr. MCMLXXI, ex illa Foederatae Americae Civitatum regione, quae jam toto orbe sub nomine *Cape Kennedy* innotuit, astronavis *Apollo 14* est in immensum caelorum spatium projecta. Prae ingenti atque gravi nubium cumulo, ipsi promovendi jactus areae imminente, paulo plus dimidia, supra praestitutam, hora, decima nempe posmeridiana (italice computata), est ejusdem astronavis eruptio retardata. Duodecimo hinc minuto, terrestrem orbitam ipsa iniit, cum jam centum nonaginta chiliometra in altitudinem se extulerit; mox autem, vicesimo fere minuto supra alteram horam, ex orbe terrestri descendens, iter in lunarem versus superficiem est eadem aggressa. Cosmonauta interim *Alan Shepard*, veteranus caelestium viarum explorator, ejusque comites *Edgar Mitchell* et *Stuart Roosa*, cum jam aversum lunare vehiculum (LEM) in adversum reduxerint, cui illa capsula injungatur, quae quosdam malleolos servat ad multiplices variosque motus transmittendos ordine dispositos, injunctioni ipsi efficiendae aliquamdiu operam frustra navant. Quam ob rem ipsa Lunae exploratio in dubium est paene devocata, nisi, tertia fere novi diei hora, res optime tandem cesserit. Eidem astronavi commenticum quoddam nomen est ab ipsis cosmonautis impositum: capsula enim major *Kitty Hawk* nativo sermone, *Falco* latino; itemque, capsula minor, seu vehiculi lunaris exemplar (LEM), *Antares* nativo, *Lunaris Aranea* latino sermone nuncupatur. Araneae, igitur, cum *Falcone* conjunctione, etsi nonnullis perpessis curis, perfecta, cosmonautae, nullo jam alio pacto perturbatis animis, praestitutum pergunt iter. Itaque, postquam astronavis Terrae gravitatis vim vicit, celeritas gradatim minuitur; quam porro, post medium inter oppositas vires et terrestris et lunaris gravitatis, superatam regionem, rursus augeri oportebit.

Aliquid interea novi in *Aranea*, seu in lunaris vehiculi exemplari (*Antares*), evenisse animadvertisit: unus ex pilarum ordinibus, quas

vis agit electrica, languescere paene videtur: est qui vereatur ne forte erraverit computator in legendis, etsi plane distinctis, notulis: quod porro minime inhibet quin pergatur iter usque ad ineundam satellitis orbitam. Haud majorem illo citreo malo, quod *grapefruit* Britanni, *pompelmo* Itali nuncupant, Lunam cosmonautae adhuc aspiciunt, quae vero, quo minus distat, eo grandior nimirum apparet. Tertiodecimo supra tertiam horam exacto minuto, *Mitchell* et *Shepard*, per interiorem, obscurum cuniculum sensim reptantes, e capsula principe *Apollo 14* (*Kitty Hawk*, seu *Falco*) in temptandae Lunae vehiculum (LEM - *Antares*, seu *Aranea*) se transferunt, quod propediem ab eadem capsula sezungitur. Haud ita multo post, cum jam lunare vehiculum sit prospere sejunctum, e satellitis superficie, magis magisque in horas ampla atque clara, quidam gravis, idemque querulus, prodit mugitus. Quidnam? Ignei jaculi, quod vulgo *Saturno* nuncupant, pars ab astronave *Apollo*, paulo ante propulsa, praeceps corruit, cuius fragor, lunaris soli tremitum secutus, a *sismographio*, jam pridem in ipsa Lunae superficie ab astronavis *Apollo 12* cosmonautis, mense novembri MCMLXIX, constituto quibusdam est distinctis notis relatus.

Ubi celeritas, demum, magis ac magis in extrema temporis momenta est paene ad nihilum redacta, idem lunare vehiculum leniter labi coepit, eo usque ut satellitis solum lambat, se postremo non longe a plaga deponens, quae *Imbrium Mare* vulgo appellatur, apud vulcanium cratera, cui nomen *Fra Mauro* a siderum studiosis est inditum: impervia, lapidosa, foveis passim conspersa¹.

Cosmonauta *Stuart Roosa*, interea, in capsula *Apollo* inclusus, Lunae orbitam tenere perget donec exploratio perficiatur. Videamus nunc quo pacto *Alan Shepard* et *Edgar Mitchell* e lunari vehiculo egredi nitantur: summam primo operam dent oportet ut externa pressandi vis ad nihilum redigatur vel saltem aliquanto minuatur, ne impedit quominus ejusdem vehiculi reseretur ostiolum. Quo demum reserato, per breviores gradus alter paulo post alterum sensim descendunt, quodammodo salientes, e solo identidem se prope attollentes, aut alterum modo alterumque modo pedem adhibendo, quam qui maxime cauti, cum piae corporum levitate tardius ambulare cogantur.

1. Cfr. quae jam de hac notitia scripsimus in **PALAEASTRA LATINA**, a. XL, fasc. II, n. 210, p. 77.

Nulla interjecta mora, instrumenta varia collocare coeperunt ad scientiarum cognitiones acquirendas, de quibus, per aetherias undas in Terram transmissis, doctissimus viros certiores faciant: ex iisdem instrumentis aliud solarem ventum, quem dicunt, imperceptas scilicet materiae particulas e Sole defluentes, captare valeat; aliud vim magneticam colligat atque indicet; aliud etiam ipsius satellitis motus, ex se intus naturā exorituros aut aerolithūm trajectione effectos, indicet ac describat; nec sibi demum temperaverunt quin suae nationis vexillum, tertio quidem, solo confixerint. Quidam quoque tubi displodentes, italice *cartucce*, anglice *cartridges* dicti, per experimentum adhibentur: *Mitchell* enim quandam lunaris soli plagam metallicis laminis, per ipsos tubos propulsis, interjectis temporis spatiis, percutit ut ejusdem soli motus ac fremitus, a *microphoniis*, vel *geophoniis*, quos rectius nuncupant, recepti, in opinionem certiorem inducant de crustae lunaris conformatione, usque ad mille et octingentos pedes in profundum. Ne modicam quidem operam consumunt quidam alii tubi, quos *carote* Itali, *carrots* Britanni appellant, eandem Lunae crustam in quoddam profundum terebraturi, cujus materiem, eandemque cujusvis generis, colligant. Quibus omnibus confectis, satellitis superficiem lustrare coeperunt, quoddam parvum vehiculum birote ante se manu agentes, quod inexploratae plagae lapidibus pulvereque onerent: quac materies Americanis civibus, ante televisificam capsellam spectantibus, prius viridis, mox versicolor in praesens apparent.

Plus quam quattuor horas longe lateque lustrationem aerei viatores perducunt, donec birote vehiculum, imposita merce onustum, ad lunarem naviculam (*Antares*) redierit, in quam viri quoque se recipiunt, ut membra cibo somnoque reficiant. Sexto ab astronavis jactu exacto die, quadragesimo supra alteram antemeridianam horam (italice computatam) minuto, iterum Lunae superficies, eademque diutius, perlustratur, etiam atque etiam lapidibus pulverisque granulis colligendis plus quam octo horas ambo cosmonautae operam navant. Ad multum demum vesperum, duabus aliis exactis horis, *Alan Shepard* et *Edgar Mitchell*, in lunarem naviculam ingressi, ab explorato satellite se discedere accingunt, ad principem capsam (*Kitty Hawk*) reddituri, quae Lunam, gubernatore *Roosa*, adhuc circumire pergit. Huic ipsa navicula, sine ullo peculiari negotio, conjungitur; mox, igitur, astronavis *Apollo 14*, ad suam simplicem redacta formam post lunarem naviculam expulsam, simul atque omnes

in unum consederunt cosmonautae, in Terram redeundi causa iter retro versum aggreditur. Eandem naviculam, quam, verbo in alienum translatu, *Araneam*, ut superius diximus, appellaverunt, indignus manebit finis: nam, haud multo interjecto tempore, in superficie lunari illisa ipsa praefringet, cum nihil jam amplius ea opus sit. Tertio fere die exacto, quinto supra decimam posmeridianam horam (italice computatam) minuto, astronavis, per tres adapertiles umbellas adhuc in aere capta, Oceani Pacifici æquora contingit, apud illud pelagi spatium insulis compluribus refertum, quas *Samoa* dicunt. Cosmonautas, postquam ipsi per ostiolum in cymbam gummeam alias post alium desilierunt, aria quaedam machina, helicibus instructa, auto-gyrus aliter nuncupata, intorti chalybeii funiculi ope attollit ac brevi in superno navis tabulato, aerovehicula gerendo instructae, cui nomen *New Orleans*, deponit.

E coeptis, quaecumque sunt usque adhuc optime disposita, nullum aliud profecto exstat, quod prosperius utiliusque cesserit².

Prof. JANUARIUS MARINELLI
 Via Salvator Rosa, 241
 80136 NEAPOLI in Italia

2. Peculiaria alia accipere potes, sis, e narratiunculis LIII, LVI, LVII in PALAESTRA LATINA, n.n. 208 - 210.

B I B L I O G R A P H I A

MICHEL, A. — *La philosophie politique à Rome d'Auguste à Marc Aurèle*. Ed. Armand Colin, Paris, 1969. Pag. 380.

Quantum apud romanos philosophi viguerint atque floruerint in eo re vera est quod Roma, quae primum philosophi mente conceperint, eadem perfecerit. Philosophi enim apud imperatores fuerunt qui eos arcescebat, colebant eorumque consiliis utebantur. Id sibi proposuit auctor hoc volumine textus latinos indole philosophica praestantes colligere ut mentis politicae imperii quasi adumbratio fieret, has praesertim quaestiones proponendo: Estne philosophia politica quaerque ejusdem praecipua sunt cogitata? Revocari possunt fontes in traditionem romanam et in primis in philosophiam graecam? Definiri potest quantum id invaluerit in philosophia politica occidentalium?

PARATORE, E. — *Nerone* (nel XIX centenario della morte). Istituto di Studi Romani Editore, Roma. Pag. 25.

Opusculum est acroasis in memoriam obitus Neronis ab Instituto Studiis Romanis proveniendis in lucem edita, ubi auctor hac data occasione Neronom ejusque opera vindicare contendit. Si neronianum enim imperium diligenter et sine ira studioque investigamus, non tantum Neronis matricidium atque crudelitatem horre debemus nec non ejusdem ostentationem in re theatrali ridiculam memorare verum etiam nobis est perpendenda aetas illa magni momenti Imperii Romani quae tantum in poste-

riora tempora invaluit, nam imperium Trajani, Hadriani, Antoninorum, quae imperia ore omnium maximis colebantur laudibus, difficile explicari possunt imperio Neronis obliterato.

LAVAGNINI, B. — *La letteratura neellenica*. Ed. Sansoni - Accademia, Milano, 1969. Pag. 345.

Brunus Lavagnini, litterarum graecarum classicarum in Panhormitana Universitate Professor, eruditissimam luculentissimamque litteraturae neograecae retractationem hoc opere perfecit, universam rem litterariem per posteriora saecula perlustrans jam inde ab annis 1000-1024 usque ad novissima aetatis nostrae tempora. Hac nova editione historiam litterarum neograecarum auctor retractat novaque capita operi adjungit. Opere perfecto per abundans affertur bibliographia primum universa, deinde singularis, denique auctorum. Index analyticus utilissimum reddit opus, quod ceterum maximas legentium laudes merebitur.

MONACO, G. — *Plauto: Curculio*. Ed. Palumbo, Palermo, 1969. Pag. 254. L. 3.000.

Pulcherrimam manibus versamus editionem *Curculionis* Plauti facetissimi operis cura G. Monaco in lucem vulgatam. Corpus seu collectio "Hermes" textuum antiquorum hoc novo volumine nobilitatur. Per ampla introductione praecipuae de Curculione tractantur quaestiones: de compositione plautina, de momento hujus commediae theatrali, de testimoniis commediae ab scriptoribus latinis prola-

tis, de traditione codicum, de editione principe, de manu scriptis ceterisque (p. 7-24). Deinde textus latinus insequitur accuratissima versione italica brevique apparatu critico instrutus. Novitatem in opere significamus analysim scaenicam quam quinque actuum comoediae plautinae G. Monaco perfecit eruditissimam. Non nulla ad quosdam Plauti locos annotationes adjunguntur nec non conspectus metrorum hoc in opere dramatico usitatorum.

MIRAMBEL, A. — *Grammaire du grec moderne*. Presses Universitaires de France, Paris, 1969. Pag. 124.

A. Mirambel Professor, conscius quantam vim ac momentum habeat hodierna lingua graeca quae propiam offert indolem litterasque, communione cum regionibus et hominibus Europae recentis nos donat, ad cognitionem cum graeci classici tum biblici ac medii aevi nos dicit, summam linguae graecae hodiernae nobis ultro largitur. Haec igitur capita proponit auctor: I. L'écriture et les sons. II. Les mots et la morphologie. III. La syntaxe. IV. Le vocabulaire. Conclusion. Bibliographie sommaire. Qui hoc opusculum legerit, facile percipiet comparationem linguae graecae classicae cum sermone graeco hodierno evolutionem linguae ostendere, quae et si praecipua elementa atque exstructuram conservet, hodiernas suas habet proprietates in dizione recentium linguarum.

DELLA CORTE, F. — *Varrone, il terzo gran lume romano*. La Nuova Italia Editrice, Firenze, 1970. Pag. 290. L. 3000.

Hac altera editione Varro novis lucibus illustratur ut "tertium lumen romanorum" jure appellari liceat.

Praecipuam operis Della Corte novitatem significemus oportet: litterarum latinarum historici Varronem in scriptoribus rei publicae includere solent, quippe qui LXVII annum suae aetatis sub Pompeio egerit in factione senatoria militando. Praeterea historici obliiscuntur XXIX plures annos Varronem studiis litterisque sub Caesare et altero triumviratu naviter vacavisse illoque obiisse anno quo Octavius Augustus salutatus est. Huc praeterea accedit quod politica ratio religiosa Caesarum in theologia varroniana altissimis radicibus defixa est, Vergiliusque ipse in conscribendis operibus doctrina Varronis est imbutus. Quae omnia qui legerint, percipient meritum Prof. F. Della Corte qui hoc novum volumen de Varrone ejusque momento in litteris latinis studiosis evulgat.

GABBBA, E. — *Appiani Bellorum civiliū liber quintus*. La Nuova Italia Editrice, Firenze, 1970. Pag. LXXXIII-344. L. 5500.

Opus exordium sumit introductione magni momenti in iis quae ad Appiani res quaestionesque spectant. Itaque disseritur: I. De compositione et indole libri V Bellorum Civilium. II. Bellum Perusinum (de rationibus ideo logicis, et politicis, de causis belli apud Appianum, Bellum Perusinum apud Cassium Dionem). III. Non nulla consectaria. Deinde appendices prostant: a) Fulvia, Cleopatra et Bellum Perusinum, b) Gesta militaria Belli Perusini, c) Quo modo sese gesserit M. Antonius durante Bello Perusino, d) Coloniae adsignationesque agrariae triumvirorum, e) Extrema triumviratus aetas. Quibus scienter pertractatis textus graecus Appiani insequitur quam plurimis omnis generis annotationibus illustratus (p. 1-240), quo perfecto, italica instruitur.

conversione quae ab omnibus sine dubio probabitur. Indice nominum, personarum, locorum opus utilissime in commodum legentium absolvitur.

PERELLI, L. — *Lucrezio poeta dell'angoscia*. La Nuova Italia, Firenze, 1969. Pag. 366. L. 2500.

Duo quasi fundamenta curae seu angoris lucretiani, id est, timor deorum et timor mortis praeter timorem ruinae apocalypticæ universi subtiliter hoc opere investigantur ad lucem doctrinarum epicurearum disciplinarumque eschatologicarum quae Caesaris atetate longe lateque percrebrerunt. L. Perelli elementorum psychanalyticorum ope quae ex ipso poemate lucretiano eruuntur, subtiliter ostendit veram esse Sancti Hieronymi sententiam qui morbum quendam animi in Lucretio detexerat. Lucretii namque ingenium et adjuncta historica cultusque quibus vixit poeta maximam habuerunt partem in poesi lucretiana, quae attento examine curis angoribusque irretita nemini non videbitur. Quae interpretatio Lucretii aesthetica, historica, stilistica, psychanalytica, quam L. Perelli praebet, novam Lucretii imaginem effingit scientifice genuinam, valde ceterum alienam ab ea quam traditio litteraria usu habet, sed magis hodiernam nostrisque temporibus magis accommodatam.

GRIMAL, P. — *L. Annaei Senecae operum moralium concordantia*. Vol. IV *De providentia*. Pag. 124. 30 F. Vol. V *De vita beata*. Pag. 149. 44 F. Presses Universitaires de France, Paris, 1969.

Optimo de litteris latinis meruit Institutum Sorbonniense Studiis Latinis Provehendis, quod magni momenti corpus, cui est index "L. Annaei Senecae Operum Moralium Con-

cordiantia" in lucem jam fere totum edidit. Praeter fasciculos I Ad Marciam, De consolatione (1965), II De constantia sapientis (1966), III De brevitate vitae (1967), nuper IV De providentia et V De vita beata salvere jubemus. Tantum edendus manet fasciculus VI De clementia, ut totum persolvatur corpus concordantiarum annaearum. Quod opus ut lectoribus nostris offeramus, nihil melius quam ipsius P. Grimal verbis uti: "Hujus Concordantiae utilitatem, quam quideam nullam esse contenderunt, demonstrant cum testes multi qui de libellis prioribus nostris benigne disseruerunt, tum viri docti in dies jam plures qui volumina nostra sibi adsciscunt et probant".

PARATORE, E. — *La letteratura latina dell'età repubblicana e augustea*. Sansoni-Accademia, Milano, 1969. Pag. 534. L. 1500.

Hoc volumen vere exstat quasi summa litteraria climi. Professoris H. Paratore, qui in frugifera ac multiformi sua in rebus latinis industria talem rationem criticam sustinuit atque confirmavit quae postulata philologiae, historiae et analysis litterariae conciliaret universumque conspectum civitatis latinae sumministraret in iis in primis quae ad civitatem hodiernam hodiernumque cultum spectant. Quam ob rem H. Paratore, propriam et singularem naturam litterarum latinarum vindicans, quasi praesentes inducit sciptores atque doctrinas evocat quae magis recentiori nostro sentiendi cogitandique modo accommodantur, ita ut dilucide patet quantum litterae hodiernae veteribus litteris latinis cultuque romano debeant. En operis index: I. L'età della guerra tarentina alle guerre d'Oriente. II. L'età delle guerre d'O-

riente alla morte di Silla. III. L'età di Cesare. IV. L'età augustea. Per utili indice verborum finitur opus.

SABBAH, G. — *Ammien Marcellin Histoire, livres XVII-XIX*. "Les Belles Lettres", Paris, 1970. Pag. 234.

Libri XVII-XIX operis historici Ammiani Marcellini, cui est index "Res Gestae", annis 357-359 dicantur, ubi res variae pertractantur: res gestae Juliani in Gallia et Constantii in regionibus danubinis, negotia persica, pactiones, apparatus bellici, bella. Primum in introductione subtiliter disserit auctor de principiis, fontibus, compositione librorum. Ibi notatur sensus criticus A. Marcellini quasi praecipua ingenii indoles. Deinde sequitur textus latinus accuratissima versione francogallica instructus cum brevi apparatu critico. Denique operi finis imponitur annotationibus aditiciis ut in omnibus voluminibus hujus corporis mos est, et per ampio verborum indice quo utilissimum legentibus opus redditur.

FRÄNKEL, H. — *Testo critico e critica del testo*. Felice Le Monnier Ed., Firenze, 1969. Pag. 90. L. 2000.

Disciplina critica textualis opera H. Fränkel quasi e caelo in terram mirum in modum reversa est. In eo est hujus operis meritum ut ratio critica textualis in uno textu eoque maximi momenti, versu nempe 5835 "Argonauticorum" Apollonii Rhodensis nitatur; itaque praecipua disciplinae textualis principia atque quaestiones subtiliter ab auctore retractantur ut genuinus textus redintegrari possit. Hac itaque via procedit H. Fränkel: *Procedimiento seguito nell'affrontare l'edizione*. I. Esempi

plare per la stampa. II. Metodi di lavoro. III. Forma dell'apparato critico. *Decisioni nel campo della critica testuale. Punti principali*. I. Sulla scelta tra varianti tramandate. II. La critica congetturale. III. Le prospettive della critica del testo. IV. I papi. *Appendici*: I. Prospetto completo delle varianti di LA SG PE per Apollonio, "Argonautiche". 3, 500-601. II. Tipologia degli errori. Indici.

REMOUCHAMPS, J. — *Culture grecque*. Maison d'Editions Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1969. Pag. 160.

Hic liber manualis, juxta auctoris propositum, longe ab anthologicis et encyclopedicis operibus abest. Id sibi in primis proposuit auctor et professoribus et alumnis adjumentum sumministrare, quo curriculum "Cultus Antiqui" potius quam quasi ex cathedra, vividiore modo in scholis traderetur. Hic textus scriptorum classicorum graecorum invenies ordine chronologico distributos commentariisque utilibus instructos in iis quae ad cogitata, dicendi genus, vim litterariam ceteraque spectant. Videsis totius operis indicem: I. La Crète et Mycènes. II. Homère - L'Iliade - L'Odyssée. III. La poesie lyrique. IV. Pindare et le lyrisme choral. V. Théâtre. VI. Platon. VII. Thucydide. VIII. Isocrate et Archimède.

ARGENIO, R. — *San Paolino da Nola cantore di miracoli*. A. Signorelli Ed., Roma, Pag. 75. L. 1000.

Opusculo, quod tibi offerimus, R. Argenio sententiam suam confirmare contendit S. Paulinum Nolanum, si in maximis quidem poetis adnumerari jure non potest, tamen multo majore aestinatione frui quam non nulli critici litterarii tribuere ei solent. Quam ob rem auctor "Carmina Nata-

licia" investiganda sumit eo tamen consilio ut subtiliter discriminetur quae pars poeseos S. Paulini Nolani fragilis videatur atque caduca et quae pars eorum carminum altius sit ponderanda atque censenda sive propter felicem venam poeticam et concinnitatem classicam uti dicamus sive propter aestum animique sinceritatem.

RANDALL, J. A. — *Plato: Dramatist of the Life of Reason*. Columbia University Press, 70 Great Russell Street, London W.C.I., 1970. Pag. 274. Price: \$7.50.

Prof. J. H. Randall visionem profert propriam de Platone in quo quid perpetuum semper innovandum perspexit. Capitibus, quae praemittuntur adspectus politici, sociales, philosophici in dialogis disputandi praebentur. Platonem auctor contemplatur ut verum scriptorem scaenicum cuius dialogi minime considerari possunt tamquam tractiones philosophicae ubi unusquisque disputationis adspectus videri licet ut expressio litteralis ipsius scriptoris. Praeterea J. H. Randall dialogos demonstrat nequaquam intellegi posse eodem modo quo Aristotelis vel Kant intelleguntur, totis viribus tenens philosophiam Platonis propriam unum corpus fieri non posse cum sententiis quae ex ore Socratis procedunt neque dialogorum fragmenta de contextu abstrahi licere sed rite intellegendos semper esse quin ambigue et per ironiam dicta Platonis praetereamus.

WILD, J. P. — *Textile Manufacture in the Northern Roman Provinces*. Cambridge University Press. Bentley House, 200 Euston Road, London, N.W.I., 1970. Pag. XXII-190. Price: 65s net.

Prof. J. P. Wild primam jure as-

serimus fecisse expositionem operum manu factorum textilium in provinciis romanis Europae septentrionalis. Incipit expositio a veteribus fibris textilibus describendis, unde extrahi solerent, quo modo romani lanam fabricarent, unde importaretur sericum, linum, cannabis aliaeque fibrae artificiosae ut asbeston, qua via ac ratione fibrae praepararentur, quibus instrumentis uterentur veteres artifices. Pars operis praecipua descriptio videtur accuratissima eaque archaeologica et litteraria textrinorum romanorum nec non examen fragmentorum telarum quae adhuc exstant. Ultima parte de quaestionibus agitur industriae romanae seu de telis perficiendis tingendisque. Textus indicibus instrumentorum ac telarum, centum fere imaginibus illustratur.

COURCELLE, P. — *Late latin writers and their greek sources*. Harvard University Press, Cambridge, Massachusetts, 1969. Pag. 466. Price: \$15.00.

Necessitudo inter cultum romanum et graecum jam inde a saec. IV usque ad saec. VI post Ch. n. a paucis eruditis investigata est, in quibus eminet Prof. P. Courcelle, clmus. historiae posterioris imperii romani et medii aevi explorator. Quae aetas summam in litteris praestantiam habet, praesertim cum magna monumenta litterarum ethnica et christiana earumque religio ac philosophia multo comparantur. Prof. P. Courcelle fontes investigat atque transitionem hellenismi ethnici et christiani ad occidentis solis gentes latinas per clarissimos scriptores ut Macrobius, Hieronymus, Augustinus, Boethius, Symmachus, Cassiodorus. Disciplinam philologicam historiae litterarum aptans auctor subtiliter inquirit per textus quos vulgo dicimus parallellos

fontes corruptos, abnormia furta litteraria quibus aetas illa significatur, revelans intimum quoque commercium atque consuetudinem interesse inter hellenismum ethnicum et christianum saec. IV exeuntis.

PHARR, C. — *Homeric Vocabularies*. University Press of Oklahoma: Norman, 1969. Pag. XII-84. Price: \$2.95.

Ut linguam quis perdiscat, opus ei est omnino magnam vocabulorum copiam adquirere. Multae rationes ac viae excogitatae sunt ad adjumentum alumnorum quorum maxime interest vocabula possidere usitatiora. Prof. C. Pharr lexica W. B. Owen et E. J. Goodspeed retractavit atque complevit, ubi vocabula frequentiae ususque indice rediguntur. Quae vocum series in opere Gehring innititur quod "INDEX HOMERICUS" inscribitur. Nihil sane nobis est dubii quin iis in primis qui discere linguam graecam per Homerum intendunt et iis quoque qui altiorem ejusdem cognitionem habere volunt, summo futurum sit adjumento.

WEST, D. — *The imagery and poetry of Lucretius*. At the University Press, Edinburgh, 22 George Square, 1969. Pag. 142.

Poemate quod "De rerum natura" inscribitur Lucretius liberare homines contendit metu deorum vitaeque futurae superos improbando humanis rebus interesse omniaque sensoria significatione explicando. Poesis licetiana vix omnino quam plurimis intellectu versionibus, quae semper eadem fere errata repetunt, quin tamen vim imaginum lucretianarum adipiscantur. Nam Lucretii poesis est scientifica et ad mundum rerum sensibilium pertinens. Hoc libro D. West utrumque

hujus poeseos lucretianae adspectum attingere contendit, mentem scilicet et imaginem. Textus, interpretatio et commentatio passim intermiscentur; quo fit ut loci difficilius inveniantur sed liber, apparatu scientifico destitutus, legitur per jucunde. Versiones quae hic inde apparent nunquam ad litteram sed ad sensum textus latini aptantur. En opus, paucis verbis, potius propriae auctoris interpretationis quam eruditiois scientificae.

MORRIS, E. P. — *Horace: Satires and Epistles*. Norman: University of Oklahoma Press, 1968. Pag. 240. Price: \$5.95.

Prof. E. P. Morris, qui hanc editionem Horatii Satarum et Epistularum exaravit, jamdiu est aestimatus genuinus litterarum magister, quod ad Venusinum in primis poetam spectat. Hanc editionem climus. Professor scitissimis ad Saturas et Epistulas introductionibus intruxit utriusque formae litterariae historiam describens. Textus, accuratissime typis mandatus, eruditissimis illustratur Commentationibus selectissimisque annotationibus, ita ut exquisita poeseos horatianae degustatio per integrum volumen diu perseveret. Horatius, juxta Prof. E. P. Morris sententiam, longe princeps eminet inter scriptores latinos qui alumnis legendi proponuntur ad detegendam per eorum opera genuinam formam litterariam.

RADICE, B. — *Pliny Letters and Panegyricus*. Vol. I: Letters, Books I-VII. Pag. XXIII-564. Vol. II: Letters, Books VIII-X and Panegyricus. Pag. 586. Ed. W. Heinemann LTD, London, 1969.

Primo volumine primi septem epistularum libri continentur. Plinius Junior optimis vixit rerum condicioni-

bus ut historicis inestimabiles sumministraret notitias aetatis suae cuius ceterum per pauca exstant documenta. Honoribus enim amplissimis est perfectus, indefessus exstitit Romae advocatus qui orationes edere solebat, ornatissima sese honestavit amicorum corona cum privatorum tum publicorum quibus ipse litteras quam plurimas destinavit. Altero volumine tres plures epistularum libri includuntur nec non Panegyricus seu oratio ad Trajanum a quo consul creatus erat. Litterae et Panegyricus versione anglica instruuntur accuratissima quae lectoribus probabitur. Utrumque volumen ad corpus quod "Loeb Classical Library" inscribitur, pertinent.

HAMMOND, N. G. L. — SCULLARD, H. H. — *The Oxford Classical Dictionary*. Oxford at the Clarendon Press, 2.^a ed., 1970. Pag. XXII -1176. Price: L.6.30 net.

"The Oxford Classical Dictionary" opus quod inscribitur inestimandum ducimus compendium aptissimum sane ad omnes quaestiones quas sibi proponant cum vulgares lectores tum periti viri antiquitatum classicarum, linguae cultusque graeci atque romani. Hac altera editione accuratissime retractantur primae editionis lucubrationes novaeque interdum sunt conscripta quibus antiquae sufficerentur. Socii operis consribendi fuerunt eximia ingenia in artibus, archaeologia, historia, litteris, mythologia, philosophia, biographia, religione, scientiis ceterisque humanis disciplinis. In extremis plerumque lucubrationibus brevis bibliographia perhibetur et in fine operis per ampla universa bibliographia apponitur. Index quoque universus nominum quae ut lucubrationum tituli non inveniuntur adjunctus est quo facilior investigandi labor fiat. Lexicon enixe lectoribus commendata

mus, cum disciplina atque institutio classica numquam in longinqua historia melius eo instrumentum habuerit ad laborem studiosorum expediendum et ad antiquitatem graecam romanamque altius cognoscendam; hoc enim compendium amplissimae eruditiois tot continet opes ut cum vulgari tum perito in qualibet re antiquitatis classicae investigatori omnino satis facere videatur.

CLEMENT, P. A. — HOFFLET, H. B. — *Plutarch's Moralia VIII*. W. Heinemann, London, 1969. Pag. XII-528.

Aliud pulchrum volumen corporis quod "The Loeb Classical Library" inscribitur. Hoc libro "Quaestiones Convivales" Plutarchi continentur anglica interpretatione instructae, quae ad opus cui est index "Moralia" pertinent; hoc volumine VIII libri VI "Quaestionum Convivalium" includuntur. Cum lectores jam diu hoc librorum corpus cognitum habeant, meminerint tantum unicuique libro scitam eruditamque praemitti introductionem opusque indice rerum nominumque finiri. Annotationes ad textum et ad interpretationem anglicam ex apparatu critico testimoniisque Hubert et Bolkestein desumptae sunt, dum textus graecus editione critica teubneriana innititur.

REYMOND, E. A. E. — *The mythical origin of the egyptian temple*. Manchester University Press, Barnes and Noble, Inc., New York, 1969. Pag. IX-556. Price: 70s net.

Opus in primis textibus innititur hieroglyphicis quos per pauci erudit viri legere suo fonte valent. Scholastici aegyptiologiae et religionum collatarum maximas habebunt gratias Dctri. E. A. E. Reymond, Prof. Stu-

diorum Coptorum in Universitate Mancuniensi (Manchester), quod scite subtiliterque de origine mythico templi aegyptii disseruit. Textibus fretus auctor propriam aedificat opinionem de templi evolutione seriore Aegypti praedynastica ac protodynastica aetate. Disputatio in quinque partes dividitur, quarum prima fontes revocantur ubi EDFU documenta inveniuntur; secunda pars comprehendit primaevum superorum mundum; pars tertia est investigatio secundae partis mundi primaevi caput etiam continens ubi de solo seu territorio sacro agitur; pars quarta ad templi creationem spectat cum capitibus de Falconis templo primaevisque Solis aedibus; quinta postremo parte de doctrina originis templi Reymond explicationem memphicam de templi natura, solum seu aream templi, templum Ancestoris formamque templi EDFU exteriorem inquirit. Textus operis descriptionibus per lineamenta fragmentisque templa exornantibus fuse illustratur.

MARSDEN, E. W. — *Greek and roman artillery. Historical Development.* Clarendon Press, Oxford, 1969. Pag. XIX-218. Price: 843 net.

MARSDEN, E. W. — *Greek and roman artillery. Technical Treatises.* Clarendon Press, Oxford, 1971. Pag. XVIII-278. Price: L.5.00. net.

Primo volumine catapultae ballistaeque historia describitur, quaenam in earum fabricatione fuerit evolutio atque incrementum, quibus materiis ad easdem fabricandas uterentur antiqui jam inde ab anno CCCXC a. Ch. n usque ad saec. IV post Ch. n. Disputationes technicae veteribus scriptis mechanicis innituntur quae fusius in

altero volumine (Technical Treatises) in vulgus edita sunt. En quae attinguntur argumenta: antiquissimae catapultae inventio, posteriora inventa majoris minorisve momenti atque immutationes tormentorum bellicorum, machinarum tormentiarum propagatio ad Macedoniam, Athenas, Romam, Carthaginem, dispositio ususque catapultarum in bellicis rebus gerendis, armamenta navalia et in primis ad obsidiones perficiendas, munitionum immutationes ad impetus tormentorum in obsidionibus debilitandos, machinae tormentariae exercitus imperialis romanorum.

Altero volumine tractatus technici antiquorum investigantur de catapultis fabricandis, in quibus Bitonis Philonisque Byzantini scripta, quae Vitruvii quoque ad rem spectant capita, nec non manuales duo libri Hieronis Alexandrini ("Belopoeica" et "Cheiroballistra") memorantur. Unusquisque veterum scriptorum textus interpretatione, commentariis, imaginibus seu lieamentis illustratur; descriptiones quoque includuntur atque disputantur de machinis ad sagittas immittendas tardiore imperio romano de quibus agit Ammianus Marcellinus, Vegetius ceterique. Examen fontium ad tormenta bellica cognoscenda non nullis completur testimoniis de "onagro" fabricando.

HAINSWORTH, J. B. — *The flexibility of the homeric formula.* Oxford at the Clarendon Press, 1968. Pag. 148. Price: 50s net.

Finis hujus operis perspicuus videatur studiosis examen tradere rite distinctum duplicitis praecipui generis "formularum" homericarum; quae prima exstat in re explicatio jam inde a Milman Parry. Scias antea velim "formulam" sensu technico idem esse atque metrum ad versus condens-

dos. Auctor defendit "formulam" videri utilius posse tanquam compositionem quandam exstructuralem quae certam stabilitamque formam atque positionem habet. Duplex "formularum" genus seligitur ad ampliorem mobilitatem, extentionem, immutationem, inversionem separationemque terminorum. Haec consideratio proponitur, quae integrum manere patitur adsociationem verbalem quaeque pars preincipua exstat technicae oralis qua ars homerica innititur. Optime suscipiatur liber momento sane quo sententiae de compositione oralis in vetere lingua graeca quae ad carmina epica maxime spectat, iterum in controversia versantur. Consilium exstitit auctoris perpendere rationem ac viam technicae oralis apud Homerum.

HOWARD, D. R. — *On the misery of the human condition*. The Bobbs-Merrill Company, Inc., Indianapolis - New York, 1969. Pag. XLIII-92. Price: \$2.25.

Textus latinus quo D. R. Howard ad interpretationem inglicam utitur est editio M. Maccarrone "Lotharii Cardinalis (Innocentii III) De miseria humane Conditionis" (Thesaurus Mundi: Lugano 1955). Post longinquam introductionem ubi plura denuo in controversiam adducenda esse videntur atque corrigenda de significatione hujus operis S. Innocentii III deque potentia in primis Ecclesiae temporali, vernacula insequitur interpretatione, quae ceterum nullo in editione textu latino instruitur. Quam aegre ferimus lacunam, praesertim cum hac data occasione praestans opus linguae latinae medii aevi divulgaretur legentibusque etiam daretur facultas textum latinum conferendi ad recte de interpretatione vernacula judicandum.

CAMPS, W. A. — *An introduction to Virgil's Aeneid*. Oxford University Press, 1969 Pag. VIII-164. Price: 25 net.

Hic liber Vergilii in primis studiosis destinatur vel iis etiam qui primum ad Aeneidos poema accedunt. Prof. W. A. Camps disputans de argumentis singulis lectores ad universum poema censendum inducit. Quo assecutus est auctor, ut lucubratio omnis de Vergilio assequi debet, propriam potius poematis aestimationem atque judicium quam earum rerum expositionem quae plerumque percognitae omnibus jam videntur. Minime ei qui legerit necesse est linguam callere latinam, etsi non nulli inveniantur loci latini in capite quo de vergiliiano dicendi genere disputatur. En habes totius libri consilium: quinque prima capita praincipis, quae intersunt poemati, personis describendis destinatur, ubi Roma, Aeneas, Dido, Turnus, Fatum, Dii inducuntur ac repraesentantur; deinde duo capita dicantur arti vergiliana exstruendi poematis atque poetice exprimendi; libri denique pars reliqua est investigatio rerum argumentorumque historicorum quibus proprium Vergilius opus exaedificavit.

STOCKTON, D. — *Cicero: A Political Biography*. Oxford University Press, 1971. Pag. XVI-360. Price: 70s net.

Cum describenda sit publica Ciceronis vita, auctor hujus libri in eis potius insistit actionibus politicis Ciceronis enarrandis, quas ipse praecipuas existimaverat; quam ob rem Cicero studia sua litteraria minoris censuit momenti quam studia politica. Per ejus scripta hodie hoc proprium Cicero drama ante oculos nostros inducit vehementissimum. Liber qui

in primis studiosis historiae romanae et praesertim laurea in Universitatibus donandis destinatur, ab omni legentium genere jucundissime versabitur, quoniam auctoris expositio nemini non arridebit. Non nullae cujusdam momento quaestiones singulis appendicibus tractantur. Maximas habemus auctori gratias propter luculentam bibliographiam quae selectissima in extremo opere prostat. In expounded Ciceronis vita ordinem chronologicum observat auctor juxta indicem: I. The Roungh Man fram Arpinum (106-70). II. S. P. Q. R. III. "Disertissime Romuli Nepotum" (70-65). IV. Consul designatus (65-64). V. Consul. VI. Catiline. VII. Consularis (62-59). VIII. Exile (59-57). IX. Capitulation (57-51). X. Cilicia (51-50). XI. Civil War (50-44). XII. "Adsum Igitur" (44). XIII. Arms and the Man (43).

CUGUSI, P. — *Epistolographi latini minores*. Vol. I: Aetatem anteciceronianam amplectens. Fasc. 1. Testimonia et fragmenta. Pag. XXII-158. Fasc. 2. Commentarium criticum. Pag. XVII-92. In aedibus Paraviae, Aug. Taurinorum, 1970. L. 3800.

Prof. Pauli Cugusi audiamus verba quae in praefatione ipse profert: "Equidem mihi decretum est fragmenta et testimonia epistularum edere nec non epistulas illas quarum corpora integra nulla nobis pervenerint; atque rei publicae quidem omnia fragmenta et testimonio et litteras collegi, imperatorum aetatis contra epistulas tantum quas pagani qui dicuntur scripsissent saec. I-IV ex., ex industria omittens omnes a Christianis scriptas litteras". Volumen primum aetati anteciceronianae dicatur ubi fasciculo quoque priore testimonia et fragmenta exhibentur plurimorum

epistolographorum, qui collecti sunt servato ordine temporum. Fasciculo altero continentur: praefatio ubi enarratur historia critica epistularum allatarum; notanda est selecta bibliographia sed in primis commentarium criticum de epistolographorum vitis, de fragmentis, de genere dicendi ceterisque. Hujus primi voluminis ope epistulae latinae quae ab Urbe condita usque ad aetatem Sullanam conscriptae sunt scitissimis commentariis criticis ad nos facile pervenient.

LECRONPE, R. — *Virgile: Boucoliques - Index verborum - Relevés statistiques*. Georg Olms Verlag, Hildesheim, 1970. Pag. 138.

Per utile opus lectoribus Palaestrae Latinae commendamus qui quemlibet locum vel vocem in Vergilii Bucolicis inclusam statim invenire velint. Primum paginis 1-19 verba stricto ordine alphabetico rediguntur, ecloga, versu, loco versus religiose memoratis. Deinde series prostat verborum ordine decrescenti distributorum (p. 92-110). Denique post indices verborum pag. 111-138, quae "Relevés Grammaticaux" inscribuntur, formae grammaticae vocabulorum quae in Bucolicis apparent minutim consignantur in iis quae ad declinationes, conjugationes, voces, tempora ceteraque attinent, tabula quoque conjunctionum in extremo opere apposita.

CASTELLI, G. — PECHIURA, P. — SINISCALCO, P. — *L'Uomo e il Mondo*. Paravia, Torino, 1970. Pag. 263. L. 1800.

En tibi anthologica latina quae e visceribus suis plane "hominem" sapit. Clarissimi enim Professores qui in dictione litterarum latinarum cum ethnicarum tum christianarum haec fragmenta collegerunt, hoc ante ocu-

los religiose habuerunt: scripta optima selectae latinitatis de "homine et mundo" excerpere. Testimonia a saec. II a. Ch. usque ad IV-V saec. post Ch. seliguntur, jam inde a Catone usque ad Ambrosium, Ammianum, Augustinum, ordine chronologico scriptoribus classicis quoque inclusis ut Cicerone, Sallustio, Seneca, Tacito, quibusdam etiam minus cognitis ut Vitruvio, Pseudo Apuleio cum aliquot scriptoribus christianis ut Tertulliano, Arnobio, Lactantio ceterisque. Qui antiqui scriptores nos homines recentes ad cogitandum invitant ut historia antiquitatis, in primis ad "hominem et mundum" quod spectat, rite perspecta, tempora praesentia et futura melius comprehendere possumus. En operis index: *Prima parte*: L'Uomo e il Mondo nel pensiero dei Romani dei secoli II a. C. I d. C. *Parte seconda*: L'Oomo e il Mondo nell'età tardo-antica. I. Le concezioni dell'uomo e del mondo. II. L'uomo di fronte ai problemi del suo tempo.

EDWARDS, I. E. S. — GADD, C. J. — HAMMOND, N. G. L. — *The Cambridge Ancient History* (2.^a ed.) Vol. I, Part. I: Prolegomena and Prehistory. Cambridge at the University Press, 1970. Pag. XXIII-758. Price: \$19.50.

Maximis exornada est laudibus Universitas Cantabrigiensis quod tantum aedificare monumentum constituit opere quod "The Cambridge Ancient History" inscribitur, clmis. professoribus I. E. S. Edwards, C. J. Gadd, N. G. L. Hammond moderantibus. Lectoribus primum volumen corporis quod ex duodecim constabit, offerimus recensem. Ut libri momentum amplitudinemque percipias, te admonitum velim in eo conscribendo XVIII peritissimos in re investigatores communem quasi operam con-

junxisse. Quod volumen initium sumit a describendis remotissimis in hominum memoria aetatibus geologicas. Quo non nullis scitissimus capitibus auctores primaevan hominum vitam, victimum praesentiamque in orbe terrarum testantur, tempora longinqua revocando praedynastica Aegypti, nec non similia tempora Mesopotamiae, Persiae, Anatoliae, Palaestinae, Cypri, Graeciae, Insularum. Maxime superandae investigatoribus fuerunt difficultates ad remotissimam historiam enarrandam, praesertim cum testimoniis tantum materialibus inniti possent, quippe qui scriptura nondum ab hominibus inventa uti nequirent. Etsi hujus modi testimonia ad cognitionem rerum integrum archaeologos accedere non patiantur, saltem quasdam primordiorum humorum notitias easque maximi momenti sumministrant, quin spem extinguamus lacunas temporum quae historiam antecedunt completum quondam iri novis investigatorum inventis. Hujus historiae capita primum in fasciculis singulis prodierunt: cum ea in volumen redigerent editores, chartae geographicae, indices, conspectus chronologici sunt appositi. Recentissima inventa archaeologica quae superioribus quinquaginta annis utimis perfecta sunt ab auctoribus expostularunt ut denuo duo prima volumina hujus ingentis historiae exararent corrigenda addenda annotanda in diem renovando.

SHACKLETON BAILEY, D. R. — *Ciceron's Letters to Atticus*. Vol. VII: Indices to vol. I-VI. Cambridge at the University Press, 1970. Price: \$7.50.

Prof. D. R. Shackleton Bailey, cuius opera alias in Palaestra Latina recensuimus, nos volumine donat quo

superiorum voluminum litterarum ciceronianarum indices verborum colliguntur. En opus eruditissimum, ea tamen eruditione refertum ut legentes minime fastidiat verum etiam maximo eis sit adjumento ad vocabula quaelibet confestim invenienda. Per utile censemus indicem totius operis tradere: I. Index nominum (i) (p. 9-43). II. Index nominum (ii) (p. 44-46). III. Index verborum: A. Latinorum (p. 47-58); B. Graecorum (p. 59-62). IV. Index rerum (p. 63-72). V. Index graecitatis (p. 73-82). Addenda (p. 85-90). Corrigenda (p. 91-99). Concordance (p. 103-114). Maximas Prof. D. R. Shackleton Bailey habeamus gratias quod tanto operi in litteris ciceronianis finem feliciter imposuerit.

PALMER, O. H. — *Ovid as epic poet*. Second edition. Cambridge University Press, 1970. Pag. XVIII-442. Price: \$13.50.

Summo animi gaudio legentibus librum recensendum praebemus quo ad cogitandum invitentur. En habes praestantissimam Metamorphoseon ovidianarum commentationem ex quo opus Hermann Fränkel olim in lucem prodiit. Cum de altera Prof. O. H. Palmer agatur editione, hac data occasione, lectoribus notanda ad maiorem operis comprehensionem non nulla existimamus. Auctor judicia recensionesque criticas primae editionis nec non libros de re nuper conscriptos ante oculos habuit atque abundatissimam bibliographiam in diem proferre curavit. Hoc est clni. Professoris O. H. Palmer consilium: exstructuram poematis explorare atque demonstrare unitatem poematis exoriri ex ordine seu successione rerum quae in narratione geruntur, causarum, sen-

sorum, cogitatorum; poema enim, ut Ovidii ipsius verba memoremus, est "carmen perpetuum", narratio scilicet quae per medias res usque ad culmen quoddam progredi debet. Quae ratio ac via explicandi poemata Ovidii ab omnibus communiter probabitur; sed Prof. O. H. Palmer de Ovidio interpretatio nobis propria singularisque videtur, praesertim quod ad fontes Ovidio usurpandos spectat.

JONES, A. H. M. — MARTINDALE, J. R. — MORRIS, J. — *The prosopography of the later roman empire*. Vol. I: A. D. 260-395. Cambridge University Press, 1971. Pag. XXII -1152. Price: \$55.00.

Primum hoc est e tribus voluminibus quae de prosopographia viorum publicorum tardioris imperii romani in lucem sunt divulganda. Quo volumine ann. 260 p. Ch. n. usque ad 395 continentur; idcirco est quasi continuatio operis illius quod "PROSOPOGRAPHIA IMPERII ROMANI" inscribitur. Viginti annorum est fructus atque investigatio; in hoc enim libro exarando auctores ingenti varioque acervo materiarum ac fontium usi sunt, quibus —praeter historicos graecos et latinos, oratores, epistolographos, poetas— inscriptio-nes, papyri, codices, concilia, litterae patristicae, hagiographia lingua syriaca, coptica, graeca latinaque exarata includuntur. Maxima horum viorum pars publicis muneribus in imperio perfuncta est; sed in opere, clericis exceptis tantum, litterati præterea sapientesque alii quam plurimi viri, ut legumlatores, doctores, rhetores, philosophi ceterique adnumerantur. Ad unamquamque quod attinet personam describendam auctores noti-

tias omnes usurparunt de origine ac loco, religione, curriculo honorum, valitudine, familiaribus, amicis. In extremitate opere prostant "fasti" seu series chronologicae virorum publicorum et "stemmata" seu arbores genealogicae imperatorum aliorumque virorum praestantissimorum. Cum haec PROSOPOGRAPHIA omnino perficietur, necessarium videbitur instrumentum iis in primis qui in investigandas quaestiones rei politicae vel administranda, res sociales, litterarias et historicas tardioris imperii romani incumbant.

RICKMAN, G. E. — *Roman granaries and store buildings*. Cambridge University Press, 1971. Pag. XXIV-350. Price: \$25.00.

In omnibus civitatibus quae ad quendam rerum progressum pervenerunt, necesse est curam cibariorum provideri. Propterea "horrea" romana intra instituta cum civilia tum militaria universo imperio inveniuntur; nunquam tamen eorum perfecta hucusque erat investigatio. Prof. G. E. Rickman cum civilia tum militaria explorat horrea, quorum duplex genus discriminat: alia quae circum aream seu plateam centralem, alia quae prope ambulacrum quoddam medium quoque exstructa erant. Maxima documentorum pars ad horrea civilia illustranda ex urbe Ostia desumpta est, ubi plurimae horum aedificiorum perstant reliquiae. Horrea autem militaria, quae plerumque in munitiobibus Britanniae, Germaniaeque inveniuntur, simpliciora videntur ac saepius ex ampla tantummodo aula constant. Prof. G. E. Rickman originem horreorum inquirit atque reperit in primaevis horreorum exemplis proximi vel longinqui orientis. Inscriptionibus fretus, nec non papyris, documentis legalibus et in primis "Co-

dice Theodosiano" ubi rescripta imperatorum saec. IV-V asservantur, auctor horreorum institutionem atque providentiam subtiliter describit. Quae, una cum cura cibariorum in illis depositorum, primum in societatum privataram manibus erant, deinde tamen a rei publicae administris publicis curabantur.

CAMP, J. — CHABANIS, CH. — *Los jóvenes de hoy*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 164.

Aliquot abhinc annos conventus quidam apud franco-gallos haberi coepti sunt, ubi scriptores, artifices, universitarii, litterati viri, poetae, musici, partim ex amicitiae studio partim ex communionis spiritualis voluntate in unum conveniebant ut de humanis rebus disputarent. Unde conventus illi in Gallia "Décadas de Provenza" inscripti sunt. Ibi actum est de philosophia, de litteris, de poesi, de metaphysica, de theatro aliisque rebus humanis. Textus qui hoc libello continentur. Decadi XVII respondent, ubi quaestiones ad juvenes pertinentes disputatae sunt summa gravitate ac perspicuitate, sine ira et studio cum ab eis qui conventibus adesse jam solebant tum a juvenibus quoque ipsis. Quae omnia in duas partes distributa: I. Los jóvenes hablan de los jóvenes. II. Los jóvenes frente a los adultos, J. Camp et Ch. Chabanis collegerunt edenda, ut testimonia essent dialogi inter juvenes et adultos viros sub umbrosis Provinciae pinis atque olivis.

BARTH, K. — *Adviento*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 86.

Clmus. theologus Carolus Barth quattuor lucubrationes biblicas nos hoc opusculo de Adventu Domini donat, ut ad exspectandum Jesu natalem aptius animum præparemus. Ad-

ventus enim tempus liturgicum optimum videtur ad Christum mystice suscipiendum. Quid ergo melius quam nosmet contemplari in hominibus illis quos Deus sibi ipse selegit et a quibus natali suo historico in terris recipetur? Sine apparatu technico, summa cum simplicitate sed non minore in cogitando altitudine, animum Joannis Baptista, Zachariae, Elisabeth, et in primis Virginis Mariae auctor contemplatur ut summa mysterii christiani profunditas nobis detegatur atque reveletur.

DEBARGE, L. — *Psicología y Pastoral.*
Ed. Herder, Barcelona, 1970.
Pág. 310.

Hoc opus praestantissimam aestimamus esse introductionem ad psychologiam scientificam et in primis ad psychanalysim. Quod ut assequeretur auctor, alta jecit fundamenta ad psychologiam pastoralem solidandam. L. Debarge non nullos adspectus investigationum in re psychologica recentium subtiliter inquirit, praesertim vero ad ministerium sacerdotale quod spectat, ut sacerdotibus prima elementa sumministret quibus fructuose in sacro munere utantur. Opus in primis sacerdotibus destinatur qui antiquos agendi modos moresque revisere volunt animarum tantum saluti consilentes. Hac via ac ratione qui in sacram ministerium incumbere debent, elementa invenient quae ad cogitandum materiam ipsis suppeditent novaque Dei gratia itinera adaperiant in salutem animarum.

SCHULTZ, J. H. — *Tendencias de la Teología del siglo XX. Una historia en semblanzas.* Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 788.

Omnium maxime interest scire de quibus argumentis agant theologi nos-

trae aetatis quibusque viis ac rationibus theologia quoque hodierna procedat. Hoc haud parvae molis atque momenti volumine centum quasi biographiae theologorum recentium omnis generis atque confessionis, adeo ut magna in theologia varietas hic quodam modo inveniatur. Neque solum theologi consignantur sed etiam philosophi qui de Deo agunt, rerum naturalium investigatores, psychologi, scriptores, sociologi ceterique sapientes; neque una tantum confessione selectio circumscrimitur: huc accedunt catholici, novatores, orthodoxi, anglicani, judaei, ingenia praeterea quae vix ulli signo adscribi patiuntur. Operi index adnexus est nominum rerumque et series imaginum photographiarum theologorum quorum vitae in volumine describuntur.

VÖGTL, W. — *La crisis de autoridad en la educación.* Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 80.

Potestne in praesens sustineri in institutione puerorum hodierna auctoritas eodem sensu desumpta quam temporibus superioribus? Quo modo sese habem adulescentes erga institutorem qui sub jugum veteris obsoletaeque oboedientiae eos submittere contendit? Quo pacto juvenes ampliore utuntur libertate quae ipsis nostra aetate conceditur? Nonne nobis juvenum institutoribus auctoritate hodie opus est? Quo usque pueri audiendi sunt? Quae disputatissimae quaestiones ab auctore hujus libelli proponuntur considerandae atque persolvendae.

PEINADOR, A. — *¿Se hunde la barca de Pedro?* Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 290.

Clinus. disciplinae moralis Prof. Salmanticensis, A. Peinador, summam hac editione offert de rebus quae

cum apud nostrates tum apud exteros dicuntur atque aguntur de Concilio Vaticano II. Testis oculatus negotiorum conciliarium eorumque particeps ut "peritus vir pontificius" jam inde a primis Concilii horis, quadam auctoritate loqui potest de non nullis rebus difficilibus quae in aliquot capitibus operis tractantur. In libro quaedam deteguntur atque discriminantur quae alium scriptorem minus sibi fidentem deterruissent, cum proœllam, quae inde exoritura esset, praevideret. Etsi amor Ecclesiae atque propria conscientia loqui cogat, nihil tamen amarum neque acerbum: veritas tantum in dicendo atque caritas.

TUININGA, M. — *Las religiosas*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 200.

Forsitan nimis opinio publica in sacerdotibus consistat tacitasque contra rerum mutationes ignoret quibus mundus monialium in praesentia exagitatur. Potestne hac nostra aetate femina ut religiosa Christum insequiri? Quam quaestionem saepissime sibi quam plurimae noviciae proponunt nec non religiosae jam aetate provecita. Aliae congregaciones religiosae unitatem mutuamque conjunctionem petunt: aliae in parvas communitates disperciuntur; interdum propriae antistitiae a collegio non nullarum religiosarum sufficiuntur; magnae domus et collegia sepe veneunt; sunt etiam religiosae infirmorum curatrices quae operiorum consociationem ingredi nitantur; neque desunt quae communitates quas mixtas dicunt iniire audeant vel a se ipsae quaerant num quondam vel sacerdotes creari possint. Opus M. Tuininga magno nobis erit adjumento ut in hac rerum novarum eluvie tranquillo animo contemplemur sacras virgines, quae,

cum verae mulieres nostrae aetatis esse contendant, extremo quoque saeculo XX Domino dicatas sese volunt.

XANDRO, M. — *Yo amo, tú amas*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 144.

M. Xandró librum exaravit de amore et matrimonio quem tertium nuper edidit. Liber sane magnopere commendandus cum iis qui conjugem in matrimonium sunt jam ducturi, tum qui jamdiu in matrimonio vixerunt, cum utrosque amor perpetuus ad recte vivendum conubium devincire debeat. Consilia, praecepta, suasiones per utiles ab auctore eo consilio proferuntur ut conjuges por coniugium fiant beatiores. Quae omnia sex operis partibus continentur, quarum liceat tantum indicem consignare: I. La felicidad y el amor. II. El amor nace. III. Las relaciones. IV. El carácter. V. Donde terminan las novelas rosas. VI. El nido. Opus M. Xandró veram genuinamque artem amandi existimamus eamque christianis principiis imbutam.

DEISSLER, A. — *El antiguo Testamento y la moderna exégesis católica*. Ed. Herder, 1966. Pág. 182.

Scientia biblica una forsitan inter ceteras disciplinas theologicas saec. XX maxime immutata est. Quae immutatio in primis veram implicat progressionem. Tamen quam plurimis per incommodum videtur hanc evolutionem studiorum biblicorum perseQUI; hic igitur liber maxima eis erit utilitati ad Vetus Testamentum recentibus rationibus exegeticis investigandum. Prof. A. Deissler introductionem aruditissimam offert ad Veteris Testamenti quaestiones praecipuas enodandas. Epistula Encyclica

"Divino afflante Spiritu" comitante, primum de recentioris exegesis catholicae principiis agit; deinde de auctorum quaestione; denique de generibus litterariis quae ad Veteris Testamenti scripta spectant. Auctoris consilium fuisse nihil aliud videtur quam sacerdotes et catechistas adjuvare in tradendis disciplinis religiosis.

TIBERGHIEN, P. — *Comment se cultiver*. Central Saint-Jacques, 19, Rue Dareau, Paris.

Quid aliud quam humanus cultus in ore omnium versatur? Liber cum professoribus tum alumnis destinatur, cum genuinus cultus humanus communem utrorumque laborem expostulet. Opusculum in tres partes seu quaestiones dispergitur: I. Quid sit humanus cultus. II. Quo modo cultus humanus comparari possit (La réflexion. L'assimilation par la réflexion. L'emotion artistique. L'assimilation par l'art. L'état mystique. III. Quae sint praecipuae humani cultus adquirendi facultates (La lecture. L'enseignement oral. La rédaction, la leçon de mémoire. L'enseignement donné. La littérature, Les sciences. Les langues. L'histoire. La géographie. Les voyages. Le Théâtre et le cinéma. La radio et la télévision. La vie).

DUBOIS, M. — *Generaciones en conflicto*. Ed. Studium, Madrid, 1967. Pág. 124.

"Ex quo, lector, oculi tui in hac pagina prima immorantur, quid mihi fuerit consilii tibi dicere velim. Hic liber potius quam liber experientia quaedam est atque muntius. Est etiam in primis fructis multiplex quem et parentes et liberi quam plurimi per viginti annorum magisterium atque investigationem contulerunt". Ita mentem in exarando volumine aperit

nobis auctor. Unumquodque operis caput quaestionis unius tantum es inquisitio. Judicium prodant lectores cum indicem operis animadverterint: 1. Experientia. 2. Indoles familiae psychologica. 3. Auctoritas. 4. Libertas. 5. Curriculi electio. 6. Pecunia. 7. Amor.

DE BALBIN, R. — *Sistema de ritmica castellana*. Biblioteca Románica Hispánica. Ed. Gredos, Madrid, 1968. Pág. 402.

Quid sibi auctor hoc eruditio scitoque opere proposuerit, perspicue patet: rhythmum hispanicum systematice tractare ejusque fundamento atque elementa praecipua. Postquam auctor differentiam notavit inter exstructuras solutae orationis et versus, huic ultimae tatummodo animum intendit inquirendae in iis quae ad rhythmicam soni, toni, intensitatis, quantitatis indolem spectant. En campus ad investigandum patet latissimus: vocis accentus, synaloephae, morae, syllabae, verborum similis exitus, cet. Quae omnia examini subiciuntur per quingentos vel plures locos poetarum. Notandam aestimamus unitatem, unde analysis oritur, minime versum esse sed stropham. In terminologia ab auctore usitata non nullae apparent novitates; nihil sane mirum, cum summa Prof. De Balbín dicendi severitas et rigor usus eis sit quo majorem explicationi conferret auctoritatem; alia tamen ex parte nihil rectae doctrinae comprehensioni obiciunt hae novatae locutiones. De operis momento amplitudo testatur materiarum, quae inde fere sine interruptione a cantilenis mozárabicas quas vulgo dicimus usque ad recentissimos poetas nostrates prolatantur

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

JONES, A. H. M. — *The cities of the eastern roman provinces.* Second edition. Oxford University Press, 1971, Pag. XVIII-595. Price. L. 7.50 net.

Liber primum anno 1937 in vulgus editus est confessimque opus omnino necessarium exstitit apud studiosos qui has res atque argumenta attingere debebant, topographiam scilicet et urbium constitutionem dispositionemque temporibus hellenisticis, romanis, byzantinis. Opus denuo anno 1951 typis mandatum rarius apud bibliopolas in paesens invenitur; quare nuper rime iterum editio est parata novissima qua et addenda et corrigenda et in diem proferenda ab auctore peritorumque in re virorum manu praepararentur. Prof A. H. M. Jones mense aprilii anno 1970 obiit cum textum hujusque editionis annotationes ipse recognovisset. Opus haud parvae molis momentique ad urbes imperii romani cognoscendas quae ad orientem solem sitae erant. En operis index: I. Thrace. II. Asia. III. Lycia. IV. The Gauls. V. Pamphylia, Pisidia, and Lycaonia. VI Bithynia. VII. Cappadocia. VIII. Cilicia. IX. Mesopotamia and Armenia. X. Syria. XI. Egypt. XII. Cyrenaica. XIII. Cyprus.

GÄRTNER, H. — *Rufus Ephesius: Quaestiones Medicinales.* B. G. Teubner Verlag, Leipzig, 1970. Pag. XII-32.

Non nullam de opusculo "Bibliothecae Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubnerianae", quod Rufi Ephesii "Quaestiones Medicinales" inscribitur, notitiam lectoribus prae-

beamus. In praefatione primum auctor, cum de editione critica praesertim agatur, traditionem per codices textus pertractat eorumque fortunam historiamque; deinde conspectus librorum datur, editiones versionesque notantur; denique textus graecus prostat selectissimo apparatu critico ornatus finiturque opus aliquot indicibus nominum, verborum, graecitatis.

MÉHEUST, J. — *Stace: Achilléide.* "Les Belles Lettres", Paris, 1971. Pag. LXV-108.

Publius Papirius Statius, vates neapolitanus, qui notissimus in litteris latinis exstat propter poemata quae "Silvae" et "Thebais" inscribuntur, postuum scripsit carmen cui index "Achilleis", ubi, jami aetate vergente, poeta versus Domitiano dicans Achilleum puerum describit feminine vestibus indutum in insula Scyro, vehementissimum Deidaniae amatorem eique artem musicam tradentem... Statius poeta librum primum poematis conscripsit alterumque tantummodo incepit. Quid consilii Statius, quod ad poema de Achille spectat, in mente habuit? Quid etiam re vera est quod "Achilleis" inscribitur poema? His duabus interrogationibus Prof. J. Méheust responsa dare contendit per ampla introductione; praeter has quaestiones quas litterarias vulgo dicimus, manu scripta attingit auctor, nec non scolios, librorum divisionem, carminis editiones. Textum postea invenimus latinum accuratissima interpretatione francogallica, apparatu critico breviculisque annotationibus instructum.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Repetitorium	ptis.	70
» De Orthographia latina (altera editio).	»	»	20
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).	»	»	100

«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, Historiae Sacrae compendium (5 edit.).	ptis.	12
» Epitome Historiae Graecae (6 edit.) ...	»	12
RAMOS, Corneli Nepotis Vitae	»	12
MIR, Ciceronis epistulae selectae (2 edit.)	»	14
JIMÉNEZ, Ciceronis pro Archia poëta (2 edit.) ...	»	12
» Ciceronis in Catilinam (2 edit.)	»	12
RAMOS, Ciceronis pro Q. Ligario oratio	»	12
MARTIJA, Vergili Aeneidos (lib. II, 2 edit.) ...	»	16
MARTIJA, Prudenti Carmina selecta (2 edit.) ...	»	12
SARMIENTO, Martialis Epigrammata	»	10
ZULOAGA, Horati Carmina Selecta	»	14
RUIZ, Homeri Odyssea (lib. I)	»	14
RAMOS, Xenophontis Anabasis	»	12

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

- 173 Tàcit - Annals (vol. V) Llibres XIV - XV
- 174 Tucídides - Història de la guerra del Peloponès (vol. V)
- 175 Herodes - Mimiambs
- 176 Tàcit - Annals (vol. VI) Llibre XVI
- 177 Aristòfanes - Comèdies (vol. II)

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHÀ, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA